



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs IV. De triplici actu, siue operatione intellectus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

sed potius esse intellectum, seu cognitum ut quo, hoc est rationem formalem cognoscendi: ad eum modum quo album pro albedine in recto sumpta, & parietem de obliquo connotante interdum usurpatur: ut colligere est ex hac propositione, *album immediate disgregat visum*.

173 Quod vero hæc sit B. Thomæ mens satis constat ex eius libro quarto contra gentes cap. 11. ubi postquam præmisit, ac latè proposuerat, verbum esse intentionem intellectam, mox subiungit hæc verba: *Aliud est intelligere rem & aliud est intelligere ipsam intentionem intellectam, quod intellectus facit, dum super suum opus reflectitur: unde & alia scientia sunt de rebus, & alia de intentionibus intellectis*. Ex quibus constat, verbum iuxta B. Thomam nunquam ut quod, & propriè cognosci, nisi cum est cognitio non directæ, sed reflectæ. Addiderim fortassis esse aliquando sermonem Angelico Præceptor, non de verbo interiori, sed de verbo partim interiori, partimque exteriori, siue, quod perinde, de obiecto cognito, dum verbum docet intelligi.

174 Adducunt Thomistæ pro se secundo Aristotelem lib. 2. de anim. text. 60. ibi: *Differentia tamen est, nam ea, quæ actu sensum efficiunt, extra sunt: ipsum inquam visibile, & audibile, & sensibilem cetera: cuius causa hæc est: actu namque sensus singularium est: scientia verò universalium est: hæc autem in ipsa anima quodammodo sunt: quapropter intelligere quidem cum quisquam voluerit in ipso est situm: sentire autem non collocatur in ipso: necesse est enim sensibile ipsum adesse*. Ex quibus hoc confici potest argumentum: obiectum sensus cuiusvis externi est extra illud: obiectum verò intellectus est intra eum: quorum alterum, alterumque affirmat Aristoteles loco adducto: at id non alia de causa nisi quia sensus obiectum externum in ipsa talis obiecti entitate immediate cognoscit: intellectus verò obiectum externum in verbo sibi intrinseco, ac similitudine quadam immanenti percipit.

175 Respondeo, Aristotelem eò loci tantum velle, animam habere intra se phantasmata, & species intelligibiles, mediis quibus possit obiecta, quamvis absentia sint, cognoscere, quoties ei placuerit: quare obiecta intellectus esse quodammodo intra animam: ceterum obiecta sensuum externorum, ne hac quidem ratione intra animam esse; cum species, & representationes aliqua eorum, quatenus à sensu interno, & intellectu distinguuntur, intra animam non supersint: quo fit ut sensus externi nihil ex natura rei percipere queant cum obiecta exteriora coram non adsunt. Hæc tantum docet Philosophus, non verò quod verbi obiecti cognitio vlla sit necessitas ad intelligendum, magis quam ad sentiendum.

176 Opponunt tertio Augustinum lib. 15. de Trinit. cap. 15. ibi: *Cum verbum nostrum cogitatione nostra dicatur. Et paulo infra: Et verum Verbum nostrum inritum nisi nostra cogitatione non dicitur*. Necnon Anselmum in Monolog. cap. 3. ibi: *Cum enim cognitio notum hominem mihi absentem, formatur acies cogitationis meæ in talem imaginem eius, qualem illam per visum oculorum in memoriam attraxi: quæ imago in cogitatione verbum est*. Respondeo, Augustinum id tantum velle, intellectionem nostram actiuam terminari ad verbum: non tamen illud intelligendo, aut cognoscendo, sed duntaxat illud producendo exprimendove. Quod autem attinet ad Anselmum, ita explicandus est, quemadmodum explicui suprà secundo loco B. Thomam.

177 Arguunt quinto aduersarij. Verbum internum re-

præsentat rem intellectui: repræsentare autem non potest nisi ipsum cognoscatur: ergo ita debet cognosci. Id suadet quia verbum externum non potest aliquid alicui repræsentare, quin ipsum auditu percipiatur, cognoscaturque: similiter ergo, &c. Respondeo, voces repræsentare ac significare rem velut signum instrumentale, cuius definitio est esse, id quod prius cognitum ducit in cognitionem alterius: quid mirum ergo, si prius auditu & percipi debeant, ut in notitiam rerum adducant: at verbum mentis non significat, nec repræsentat veluti signum instrumentale, sed tanquam signum formale; siue ratio formalis cognoscendi: unde sicut ratio formalis dealbando, nempe albedo, propriè alba esse non debet, ita pariter ratio formalis cognoscendi nimirum verbum internum cognosci per se loquendo non postulat.

Arguunt sexto, & ultimò. Intellectio est actio 178 productiua verbi: at ad verbum terminatur actio productiua verbi: ergo & intellectio utriusque actiua ad verbum terminatur: at nulla forma extrinsecè terminari potest ad aliud, cui effectum suum formalem non tribuat: intellectio igitur terminata ad verbum, ei effectum suum formalem, videlicet denominationem intellecti, & cogniti impertiet. Respondeo, intelligere actiue rem aliquam est imaginem rei in intellectu exprimere, ac producere: unde ea ratione intelligere rem est ad illam mediè tantum terminari: nec alia terminatio præter hanc mediè erit utilis, ut intellectionis actiue denominatio, effectusque formalis tribuatur obiecto: cum igitur intellectio actiua non mediè tantum, sed immediate ad verbum terminetur, sanè illud productum, non verò intellectum denominabit.

TRACTATUS IV.

De triplici actu, siue operatione intellectus.

CAPVT I.

Quo pacto simplex apprehensio, siue prima operatio intellectus à secunda, & iudicatiua differat ex obiecto, & modo repræsentandi?

1 Vobis attinet ad differentiam prioris eorum actuum à posteriori desumptam ex obiecto illud exploratum est, omnem notionem simplicem, verbi gratia, hominem, albedinem, Angelum, Deum, & his similia, primæ intellectus operationi, eiusque termino ac simplici conceptui oblici. An vero notio etiam complexa, siue identitas vnus cum alio, v.g. hominem esse animal, possit esse obiectum illius, id est satis inter auctores controuersum. Negant Gregor. in prol. sentent. quæst. 1. art. 3. Vasquez 1. parte, disp. 75. cap. 4. num. 21. & 1. part. disp. 223. cap. 3. num. 17. & 1. 2. disp. 62. cap. 3. & disput. 79. capite 3. Suarez tom. 1. metaphys. disputatione 8. sectione 4. num. 8. etiam paulo superius contrarium quoque probet, imo velut magis probabile clarius exprimat. Non pauci etiam Thomistæ eidem opinioni subscribunt.

Cuius primum argumentum est: complexio, & identitas vnus rei cum alia, siue vnā esse aliam, est obiectum

obiectum iudicij, ac secundæ operationis intellectus: non igitur primæ. Antecedens certum. Consequentia suaderetur: quoniam cum illæ operationes sint speciei diuersæ, non poterunt earum objecta non differre: actus enim intellectus ab objectis specificantur. Secundum eius sententiæ firmamentum est: quia Aristoteles 1. periherm. cap. 1. & cum eo reliqui docent, iudicij proprium esse, ut componat, & diuidat: quod si apprehensio, ac prima mentis operatio sciret, vnum esse, aut non esse aliud, haud dubiè componeret, ac diuideret. Tertium est: quoniam Aristot. 3. de anim. text. 21. vocat apprehensionem meram, qua de agimus, indiuisibilem intelligentiam, alij etiam non dissimili phrasi eam appellant apprehensionem simplicium: fieri ergo non potest, ut totam propositionem obiectiuam attingat, alioqui esset non magis indiuisibilem, & simplicium, quam complexorum, & diuisibilem intelligentia. Denique iudicium non assequitur complexiorem duarum rerum, earumque mutuam identitatem, nisi munere plurium conceptuum, ex quibus coalescit, atque componitur: multo ergo minus prima mentis operatio, quæ iudicio longè imperfectior est, vnus simplicis conceptus beneficio plurium rerum complexiorem, & identitatem poterit assequi. Quocirca non pauca rationes, quibus probari solet, iudicium non posse esse simplicem qualitatem multiplici gaudentem obiecto, hoc ipsum à fortiori de primo intellectus opere persuadent: eas autem in tractatus sequentis caput primum percello.

Enimvero contrarium docent Gabriel in 2. dist. 6. quæst. vnica artic. 3. dubio 2. Toletus 3. de anim. q. 21. & 22. Fonseca 4. metaphys. cap. 2. quæst. 6. sect. 6. Conimbric. 3. de anim. cap. 13. quæst. 4. art. 1. Hurtad. disp. 7. de anim. sect. 1. §. 5. & 6. Auerfa quæst. 23. Logica sectione 1. Sorus 1. post. cap. 2. quæst. 1. ad 2. Balthasar Tellez parte 4. Sum. disp. 84. sect. 1. num. 1. Quorum sententia mihi magis aridet: Primò, quia etiamsi apprehensio aliqua simplex connexionem & identitatem quorundam extremorum repræsentet, non propterea erit iudicium, sed potius ab eo non paruo interstitio diffidebit: eam igitur poterit repræsentare: consequentia liquet, antecedens etiam non minus perspicuum est: tum ob ea quæ in solutione primi argumenti afferuntur: tum etiam quia non ex eo quod cognitio idem habeat obiectum quod amor, in amorem migrat, aut cum eo confunditur: haud ergo sequetur, apprehensionem esse iudicium, aut vtriusque discrimen omne tolli, etiamsi eadem extremorum connexio vtrique ex æquo obiciatur. Iam secundò: audita hac propositione, *Antichristus modo existit*, apprehendo, & intelligo eius sensum, atque id quod significat, totum penetros: sensus autem, & significatio illius est connexio extremorum suorum, videlicet subiecti, & prædicati: hanc ergo apprehendo: sed eam per iudicium nec affirmo nec debeo: possum ergo simpliciter apprehendere compositionem vnus extremi cum alio, quin eam per iudicium affirmem, & quod consequens est vnus diuisionem ab alio, quin eam per iudicium negem. Tertiò, sæpè sæpius contingit, ut de identitate ac distinctione aliquorum extremorum dubius sim, & anceps, v. g. an non cælum sit simplex corpus: tunc autem eiusmodi identitatem, ac distinctionem percipio, & mente voluto, nullumque de alterutra destitutum iudicium fero: eas ergo simpliciter apprehendo.

Præterea quartò: cum concipio Petrum, v. g. non est necesse, ut cum esse iudicem: ergo etiamsi concipiam identitatem illius cum animali, haud statim

opus est, ut eiusmodi identitatem dari existimem: eius igitur sola apprehensio non repugnat. Quintò, aliæ relationes possunt simpliciter, & circumscripto quouis iudicio à nobis apprehendi, v. g. Paternitas, Filiatio, æqualitas, inæqualitas, similitudo, aut dissimilitudo duarum rerum: quidni ergo, & relatio identitatis vnus rei cum alia, aut distinctionis, vnus & alterius. Consequentia, quantum ego sentio, est manifesta: antecedens à nemine, quem viderim negatur, aut iure potest: quid enim prohibet, me alicuius Paternitatem apprehendere, eamque nec negare, nec affirmare, sed potius in suspensio relinquere, propterea quod dubium inter omnes sit, cuius sit Filius, quem eiusmodi Paternitas respicit. Par autem est cæterarum relationum conditio. Rursus omnis definiti præcedere in nobis solet simplex tantum, & confusa apprehensio, antequam ei definitio per iudicium adhibeatur, & ita magis explicetur. Hoc inductione cuius constabit. Hoc etiam est quod dici consuevit, definitum esse obscurius definitione, & hanc illo clariorem. Sed identitas vnus rei cum alia alicuius definitionis quidditatiæ, aut descriptiæ definitum, atque subiectum est: poterit ergo prius simpliciter apprehendi. Vltèrius ipse P. Valquez 1. part. citata disp. 213. cap. 3. num. 15. docet simplicem apprehensionem solius subiecti, illud repræsentare ut prædicato conueniens, & apprehensionem prædicati, hoc ut vnum cum subiecto, & sic vtramque iudicium constituere: cur ergo simplex apprehensio nequeat concipere mutuam, ac reciprocam identitatem subiecti, & prædicati, & non solum huius cum illo connexionem, sed etiam illius cum hoc è conuerso? ubi enim apprehensio mera nihilominus attingat identitatem inadæquatam, non est quamobrem nequeat attingere adæquatam, & reciprocam, si paulò sit perfectior. Tandem quod ait P. Valquez locis citatis, & innuit etiam P. Suarez relata sect. 4. num. 8. deludi nos similitudine vocum, & harum solam complexiorem percipere, quoties connexionem, & identitatem ipsarum rerum videre nobis videmur, hoc inquam est facile impugnatum. Siquidem prolata hac propositione, *cælum est corpus simplex*, coram eo qui latinæ linguæ sciens, & eo qui nescius est, hic posterior alium conceptum intus efformat, & alium eumque perfectiorem ille prior: ergo quia alter solam vocum texturam percipit, alter vero altius penetrat & ad ipsam rerum connexionem pertingit: igitur si quod fieri potest & solet, iudicium cohibeat, eam simpliciter apprehendet.

Porro diuersæ partis argumenta haud sunt admodum difficilia. Ad primum respondeo, apprehensionem & iudicium ex modo repræsentandi differre posse, etiamsi vtriusque sit idemmet obiectum, nec magis vni quam alteri extremorum connexio, aut seiunctio appareat. Quod constat non solum exemplo amoris, & præuæ cognitionis superius adducto, sed etiam speciei impressæ, & expressæ, sensationis externæ, & internæ, item harum, & cognitionis spiritualis nil spirituale cognoscentis, necnon amoris efficacis, & inefficacis, aliorumque plurium actuum, quos referre superuacat. Ad secundum respondeo: apprehensionem meram componere & diuidere non perfectè, & efficaciter, sed imperfectè, & ineffaciter fortassis non est improbabile, ut Dialect. lib. 10. ostensum: at hæc sola posterior compositio ac diuisio sequi posset, ex eo quod apprehensio compositionem aut diuisionem obiectiuam subiecti, & prædicati attingeret. Deinde propterea quod prima intellectus operatio mutuum ordinem subiecti & prædicati cognoscat, haud efficitur eam vllatenus componere

ponere aut diuidere: Deus enim compositionem à nobis factam eiusque obiectum cognoscit, quin ob id instar nostri componat, vt docet Ferrariensis 1. contra gentes cap. 59. §. ad 2. id cognoscit fictionem nostram, quin fingat, & falsitatem, quin fallatur: ergo similiter, &c.

6 Ad tertium respondeo, primam intellectus operationem dici indiuisibilem intelligentiam, & simplicium apprehensionem, id est eorum quæ ab intellectu perfectè nec diuiduntur, nec componuntur: quare indiuisibilitas, & simplicitas, de qua sermo est Aristoteli, & aliis, magis se tenet ex parte actus, quam obiecti, & non hoc diuisibile, & complexum esse ab eis negatur, sed illum diuidere aut componere, quoties de prima mentis operatione loquuntur. Porro autem, quo tam hæc solutio, quam ea quæ est adhibita argumento præcedenti magis elucescat, & confirmetur, animaduertenda est quædam doctrina Cardin. Caiet. prima parte, quæst. 58, art. 5. *Cum verum & falsum in compositione consistat, quemadmodum compositio dupliciter admiscetur cognitioni, ita & verum & falsum. Potest enim intellectui competere compositio ex parte modi cognoscendi, vt cum cognoscimus, quod homo est homo, & ex parte rei cognita, vt cum cognoscimus rem compositam. Et per oppositum simplex apprehensio, dupliciter inuenitur, scilicet, quoad modum cognoscendi aut quoad rem cognitam. Nec requiritur ad rationem veri & falsi utraque compositio, sed altera quævis earum sufficit. Patet enim quod de re quantumcunque simplicissima, potest quis habere cognitionem compositam veram, aut falsam: puta formare propositionem, quod ipsa est ipsa, aut ipsa non est ipsa. Et similiter quantumcunque modus concipiendi sit simplex, potest apprehendi compositum ex partibus incohærentibus, vel cohærentibus, ac per hoc verum, vel falsum.* Hæc ille: vnde roborantur, & declarantur ea, quibus præcedens, & præfens argumentum soluimus. Hoc quidem: quia prima intellectus operatio tantum dicitur indiuisibilem, seu simplicium intelligentiam, indiuisibilitate ex parte modi; quasi sensus sit esse intelligentiam simpliciter, & indiuisibiliter cognitorum nos vero duntaxat ex parte obiecti multipliciter, & complexione ei permittimus. illud verò: quia iudicium differt à prima, & simplici intellectus notitia, penes compositionem ex parte modi: nos vero tantum compositionem ex parte obiecti hætenus ei attribuimus. Quod assumitur in postremo argumento, iudicium non posse esse simplicem qualitatem, hoc ipso quod plura vt plura cognoscat, cap. 3. huiusmet tractatus diluatur.

7 Vidimus hucusque iudicium nostrum, & simplicem apprehensionem non differre obiecto, propterea quod alterum attingat identitatem, aut distinctionem extremorum, secus vero altera: videndum est modo an aliunde obiecto dissideant, eo nimirum, quod apprehensio simplex, vnde noster intellectus orditur, percipiat quidditatem, iudicium vero non illam attingat, sed potius rem quoad an est, eiusque existentiam, & qualeslibet proprietates, aliæ prædicata. Arist. 3. de anim. text. 26. & sexto metaph. text. 8. & 9. metaphys. text. 22. ac B. Thom. initio penultim. & init. post. & 1. part. quæst. 85, art. 5. & quæst. 17, art. 3. & 1. contra gentes cap. 59. videntur affirmare: sed reuera non affirmant. Cum enim aiunt, primam operationem intellectus attingere quod quid est, & secundam, an est, per propositionem de primo adiacente vt v. g. *Petrus est*, siue existit, vel de tertio adiacente, vt *Petrus est albus*, aliisque quibusvis proprietatibus affectus, tota ea doctrina intelligi

debet, per quandam attributionem, quasi eius sensus sit, quemadmodum quidditas rei est eius essentia siue sit existens siue non; ita primam intellectus operationem attingere non solum quidditatem, sed etiam quancunque aliam rem, quin tamen asserat eam absolute, aut taliter esse, vel non esse: contra vero, vt res quoad an est, nihil aliud est quam eam esse aut non esse, ita secundam operationem intellectus percipere tam existentiam rei eiusque proprietates, quam etiam quidditatem, sic tamen vt de eis esse aut non esse, conuenire aut non conuenire alicui subiecto semper affirmet: velut rectè explicat Auerſa q. 23. Logica.

At aliqui Thomista cum Caietano 1. p. quæst. 17. art. 3. §. ad euidentiā docent, primam operationem intellectus in eo differre ex parte obiecti à secunda, quod sola illa quidditatem verè attingat, ac de definito etiam asserit, hoc aliove simili modo, *linea est longitudo duobus punctis clausa*: hæc vero proprietates subsequentes, & cætera quævis prædicata, eaque rei attribuat. Quod tamen fallatur, quodque verior sit doctrina, qua Aristotelem, & B. Thomam exposuimus, breuiter suadeo: neque enim res magna probatione eget. Nam prima intellectus operatio est, quæ tantum apprehendit, secunda quæ iudicat, tertia quæ colligit, siue concludit: hæc est recepta inter omnes eiusdemmodi vocum significatio: est quodcunque de alio affirmes, eo ipso iudicabis: quævis igitur affirmatio, etiam si sit definitionis de definito, non ad primam, sed ad secundam mentis operationem attinebit. Rursus amor efficax, & inefficax non dissident obiecto, quod vtriusque idem potest esse, sed modo, quo nimirum alter magis, alter minus cum re amata connectitur: haud igitur necesse est, vt iudicium, & apprehensio semper obiecto differant, ac proinde ambo quidditatem rei, ambo cætera eius prædicata poterunt attingere, non tamen eodem modo, nec pari perfectione, vt supra posuimus, & exposuimus. Denique si per primam intellectus operationem affirmamus definitionem de definito, si v. g. hominem esse animal rationale assequimur, quorum sequitur in nobis secunda intellectus operatio à prima distincta, magis quam in Deo & Angelis: Quod si respondeat Caiet. quem (ne calumniari videamur) Auerſa superius citatus sicut nos intelligit, si inquam respondeat, circa quidditates rerum non distinguere in nobis primam intellectus operationem à secunda, facile poterit refelli, quoniam idem necessario vsuenerit circa alia quævis prædicata: etenim distinctio earum operationum oritur in nobis ex confusione & imperfectione luminis, qua Deo, & Angelis decedimus: atqui nihil difficilius, & imperfectius à nobis cognoscitur, quam quidditates rerum: has ergo si nihilominus plenè assequimur, & rebus quarum sunt attribuimus, idque sine assensu, graduve ab vno actu ad alium facto, sanè à fortiori effectus exteriores, & alia prædicata magis nota, sine actu turbæ, & multiplicitate assequi poterimus.

9 Quod attinet ad modum representandi simplicis conceptus, seu termini, mentis proprium, iam toto hoc capite sæpè sapius diximus, talem debere esse, vt merito illius intellectus efficaciter nec componat, neque diuidat, id est vnum de alio neutriquam affirmet, aut denegat. An autem inefficaciter, imperfecteque possit plura componere, aut diuidere, ad modum quo voluntas vna componit efficaciter vnum cum alio, si nimirum quanta potest energia velit Petram, v. g. esse sanum; alia vero, tantum inefficaciter plura componit, vnitue: qua etiam ratione datur duplex affectus diuisi vnus ab alio; de hoc, inquam

inquam in Dialect. lib. 10. latè egi, atque diremi, quid mihi magis probabile esse videatur. Cum autem apprehensionem meram vno modo componere, ac diuidere nego, & alio si non affirmo, at velut non improbabile insinuo, vtrumque dictum puta, de compositione, ac diuisione ex parte modi actusue: nam si sermo de vtraque ex parte obiecti, eas simplici apprehensioni iudicio præuiæ largiendas esse, superius adducta persuadent. Cæterum id non est apprehensionem propriè loquendo componere aut diuidere, sed duntaxat obiectiuam compositionem aut diuisionem cognoscere.

Denique circa modum representandi simplicis notitiæ quæri potest, num is sit, cui in eundem realiter actum cum iudicio coalescere repugnet? Dico cum P. Hurtado relata disp. 7. de anima sect. 1. §. 4. repugnare contemplatione vniuersæ obiecti: qui enim fieri potest, vt idem actus eandem rem simpliciter apprehendat, & simul iudicet, illamque componat, aut diuidat, & nec componat nec diuidat? secus vero respectu diuersorum obiectorum, vt constat ex hoc actu, verbi gratia, *creatura Dei omnes & singule sunt corruptibiles & interituri obnoxia*, qui de creaturis iudicat corruptibiles esse, de Deo vero nihil tale iudicat, aut salua veritate sua potest, ac proinde eum simpliciter apprehendit.

C A P V T II.

An secunda operatio intellectus, siue iudicium sit simplex qualitas, vel potius ex pluribus apprehensionibus intrinsecè componatur?

10 **P**lures Thomistæ, & post eos P. Suarez lib. 3. de anima cap. 6. docent, iudicium esse aggregatum per accidens, ex tribus apprehensionibus, altera subiecti, altera prædicati, & altera copulæ, quæ per verbum, est, significatur. Alij vero cum P. Vasquez 1. part. tom. 1. disp. 223. cap. 3. & 1. 2. tom. 1. disp. 79. cap. 3. & disp. 62. capite 3. à numero 10. & cum P. Rubio 1. perihæ. quæst. 4. cap. 4. docent, iudicium intellectus nostri tantum componi ex duabus apprehensionibus, altera concipientis subiectum vt conueniens, vel inconueniens prædicato, alia verò alterutro modo prædicatum subiecto comparante. Aliqui etiam, quos suppressis nominibus, refert P. Vasquez nuper citatus, tradunt iudicium esse compositum ex apprehensionibus subiecti, prædicati, & copulæ, non vtrunque sumptis, sed physicè vnitis, haud aliter ac vna quædam aqua totalis ex pluribus inter se continuatis coalescit.

11 Alij tuentur, iudicium non fieri, per hoc quod apprehensio copulæ physica ratione continetur apprehensioni subiecti, necnon apprehensioni prædicati, easque veluti terminus communis coherere faciat, sed potius per hoc quod apprehensio copulæ, in apprehensione eius extremi, quod subiicitur intentionaliter, reuera ac physicè subiicitur, eique informatiuè vniatur, alterius, vero extremi, nimirum prædicati, apprehensionem tantum extrinsecè connotet, eique minimè vniatur. Alij quibus fauet P. Fonseca lib. 6. metaphys. quæst. 3. cap. 1. sectione 4. tenent, iudicium nostri intellectus, regulariter loquendo, esse compositam qualitatem ex multis apprehensionibus: cæterum fieri posse, vt intellectus noster iudicet per actum simplicem, ac fortasse id aliquando euenire.

12 Tandem plures tuentur iudicium omne nostri intellectus esse simplicem & indiuisibilem qualitatem, quæ apprehensiones præuiæ supponit, non intrinsecè includit. Ita Gregorius in prol. quæst. 1. artic. 3. Gabriel quæst. 1. artic. 1. Durandus in 1. distinct. 38. quæst. 2. Ferr. 1. contra gentes cap. 59. Card. Tolertus 3. de anima, quæst. 19. Conimbr. tom. 2. Logica in cap. 4. de orat. quæst. 4. art. 3. Hurtado disp. 7. de anim. sect. 2. Molina 1. part. quæst. 1. art. 3. disp. 3. concl. 2. prope medium Ariaga de anima, disp. 6. sectione 4. Recupit. tom. 1. lib. 6. quæst. 27. num. 2. Tellez part. 4. summ. disputatione 85. sectione 1. num. 2. Sanctacruzanus, Casilius, Auerfa, & alij non pauci nec indocti.

13 Quamuis autem hæ sententiæ probabiles sint, paulo tamen aliter in præsentis philosophandum arbitror: exstimo enim, iudicium nostri intellectus de facto semper esse simplicem, & indiuisibilem qualitatem, possibile tamen esse iudicium, quo vel alius intellectus, vel certè noster in alia rerum serie diiudicet. Huic sententiæ, quoad priorem eius partem, subscribunt auctores num. præcedente relati: ei vero quoad posteriorem fauent, aut omnino, aut quadantenus, cæteri Doctores, quos pro aliis sententiis retulimus.

C A P V T III.

Vtraque pars nostræ sententiæ probatur, & obiter aliorum placita refelluntur.

14 **P**rior quidem opinionis nostræ pars suadetur: quoniam si iudicium nostri intellectus non esset simplex & indiuisibilis qualitas, maxime quia intellectus noster in eo discrepat ab Angelico & diuino, quod componendo & diuidendo iudicet, nec nili per plures apprehensiones inuicem ordinatas affirmet aut neget, cum tamen Deus & Angelus absque compositione & diuisione vnico simplicissimo actu de obiectis suis iudicium ferant: aut quia, sicuti discursus omnium confessione componitur ex pluribus iudiciis, ita iudicium ex pluribus apprehensionibus constari oportet: aut tertio, quia vnus simplex actus intellectus nostri, quæ est eius imperfectio, nequit attingere plura vt plura, siue diuersa, quæ tamen iudicio nostro sæpè sapius attinguntur: aut tandem, quoniam propositio exterior, quæ interioris speculum quoddam atque imago est, pluribus semper vocibus inter se distinctis constituitur, pro multiplicitate rerum earum quas repræsentat, atque inuicem contendit: vnde fieri videtur, vt non merito vnus simplicis actus, sed plurium interior etiam propositio, plura necessario significet, atque vicissim comparet. Ast hæ rationes nullæ sunt. Intellectus enim noster non in eo dissidet ab Angelico, & diuino, quod per actum diuisibilem, & compositum iudicet, sed quod ad iudicium de multis rebus ferendum egeat apprehensionibus præuiis, quibus tamen notitiis simplicibus, atque imperfectis, Deus nunquam & Angelus haud plerumque egent: hinc etiam oritur vt intellectus noster potius quam Angelicus, aut diuinus componat, diuidatque, vt cap. quarto latius exponemus.

15 Secunda etiam ratio in contrarium adducta, parum negotij facillit: non enim sine fallacia iudicium cum discursu comparat, cum potius iudicium immediatum cum iudicio mediato, siue assensu conclusionis, & processus ex pluribus apprehensionibus ad iudicium, cum processu à pluribus iudiciis ad conclusio

conclusionem, siue cum discursu conferri deberent. Ita verò facta comparatio nobis magis quam aduersariis prodest: ut enim discursus ab vno, vel pluribus iudiciis ad conclusionem, non est indiuisibilis qualitas, sed aggregatum quoddam plurium actuum antecedentium, & consequentium; ita similiter processus ille, quo intellectus à pluribus apprehensionibus ad iudicium quasi discurret, est complexum quoddam per accidens plurium apprehensionum, quæ prælucent, & iudicij quod consequitur, ac præuiam illam & imperfectam lucem perficit: & sicut conclusio est indiuisibilis qualitas connectens immediatè, & copulans intentionaliter extrema illa, quæ in præmissis immediatè vnita non erant, nec nisi in medio syllogistico inuicem necessebantur; ita similiter iudicium immediatum erit quædam indiuisibilis qualitas necens extrema, quæ per apprehensiones præuias, velut seiuncta ac disparata apprehendebantur.

16 Quam autem fragili, ac ruinoso fundamento innixa sit tertia ratio nobis obiecta, constat primò: quoniam eadem res habet simul respectum physicum ad plura ut plura, ac diuersa, ut homo, verbi gratia, ad cognitiones suas, & amores, ad sensationes, & intellectiones, ad intentiones, & electiones: item ad horum omnium actuum varias species: rursus ad vitæ vegetatiuæ, & loco motiuæ functiones: denique ad causam primam, & secundam à quibus producitur: igitur à fortiori vnus, idemque actus intellectus nostri poterit habere respectum intentionalem ad plura ut plura, eade repræsentare: magis enim est multiuaga intentionalis tendentia, quam physica: vnde in pluribus locis simul esse; operari in passum distans. quin prius per medium; transilire limires rerum existentium, ac in aliquid non existens operari, nequimus physicè, at possumus intentionaliter, & munere cognitionis, aut amoris, quibus nihil volubilius aut velocius: quare similiter, vbi non repugnet eiusdem rei tendentia, ac respectus physicus ad plura ut plura, sanè potiori iure poterit eadem cognitio plura ut plura respicere, atque in ea intentionaliter contendere. Vltèrius vno, eodemque actu simplici apprehendimus essentiam hominis: at ea plura & diuersa inuoluit, materiam scilicet, & formam rationalem: quæ quod concipiuntur ut vnita, non tollit quo minus etiam ut diuersa; haud enim vnio, sed identitas diuersitati, ac pluralitati opponitur. Huc etiam faciunt, quibus suprà capite primo, apprehensionem obiecto tenus compositam, ac rotam propositionem indiuisibiliter comprehendentem, late probauimus.

17 Quæ autem obiciunt aliqui Thomistæ, ut probent non posse dari æquiocationem in mente, siue quod ipsis instar est, ab ea non posse plura ut plura eodem actu simul percipi, nullius sunt ponderis: obiciunt autem primò eandem imaginem physicam non posse simul repræsentare & exprimere plures res atque diuersas, hominem, verbi gratia, equum & lapidem; quin potius ad hos exprimendos diuersis imaginibus opus esse: ergo nec eadem cognitio, siue imago intentionalis poterit esse plurium ut plurium repræsentatiua. Obiciunt secundò: nequit idem corpus simul delineari pluribus figuris: ergo nec in eundem actum congeri sine confusione possunt similitudines diuersæ, siue diuersarum rerum: has ergo neutiquam repræsentare sustinet eadem cognitio. Sed ad primum respondeo, imaginem physicam assimilari vniuocè ei quod repræsentat: vniuoca autem eius similitudo, & conuenientia cum diuersis ac dissimilibus inter se rebus repugnat; color enim

colori superimpositus eum delet, quæ est vtriusque contrarietas. Quocirca ne fabulosus ille Protheus diuersos simul vultus simul habuisse, sed eos pro arbitrio mutasse fingebatur: at cognitio, siue imago intentionalis non vniuocè, sed analogicè obiecta sua repræsentat, neque ad hoc opus habet vlla colorum varietate aut illusione; est enim quædam spiritalis qualitas, atque alterius & superioris ordinis, quam proinde ad rerum sensibilibus normam frustra exigas. Atque hinc etiam ad secundum argumentum patescit. Cui etiam cum præcedente hoc vitium commune est, quod ambo videantur probare nec per diuersos actus intellectum posse cognoscere plura ut plura, haud aliter ac eadem tabula nequit simul diuersis imaginibus illudi, aut figuris delineari. Quamuis autem Durandus hoc pensi non habeat, nec absurdum reputet, cæterum fallitur. Quid enim manifestius, quam vniam apprehensionem cum alia, vtramque cum iudicio, & præmissis cum conclusione, & vniuersim vnus rei aut negotij curam cum alterius attentione concurrere, ut optimè aduersus Durandum arguit P. Hurtado disp. 5. de anima, sect. 7. §. 2.

18 Postrema denique ratio, qua peti solet indiuisibilitas nostri iudicij, haud est prioribus magis momentosa. Fateor, propositionem externam esse speculum quoddam, & imaginem interioris, ut rectè docet Plato in Theæteto definiens λόγος potissimum esse cogitationem suam voce per verba nominaque exprimere, opinionem propriam in voce, perinde ac in speculo & aqua monstrare. Et paulò infra: Esse idolum cogitationis in voce. Cæterum, cum non sit imago vniuoca illius, sed analogica, altera enim est spiritalis, altera materialis, vna tonis, atque interuallis protracta, alia momento perfecta, & successionis omnis expert; ideo non est quapropter altera simplex & indiuisibilis esse nequeat, ut ut altera sit diuina, & partibus cohereat.

19 Præterea, prior illa nostræ sententiæ pars probatur improbatione aliarum opinionum. Quarum prima, & magis communis sic conuelliatur: possunt dari in intellectu, apprehensio subiecti, & apprehensio prædicati, necnon apprehensio copulæ, quin intellectus ferat assensum, aut prædicatum subiecto conuenire diiudicet: assensus ergo, aut iudicium, si eliciatur, proculdubio à triplici apprehensione realiter distinguetur. Consequentia liquet: quia separabilitas realis à distinctione reali nusquam separabilis est. Antecedens vero suaderetur experientia: si quidem cum quis hanc propositionem, *ens est analogum*, successiuè prolatam audit, apprehendit subiectum, prædicatum, & copulam, seu identitatem obiectiuam vtriusque; & tamen non iudicat, ens esse analogum, sed vel dubitat vel oppositum iudicat, quis hoc aliquando contingere neget: illa igitur triplex apprehensio reperiri potest, quin iudicium de entis analogia in intellectu detur.

20 Confirmatur. Idcirco cognitio, aut amor quibus anima in rem aliquam fertur; vnio etiam materiæ & formæ; actio qua causa quidpiam efficit, vbiatio & duratio, quibus aliquid est in tempore, aut loco; idcirco inquam huiusmodi relationes à suis extremis realiter distinguuntur, quoniam absque ipsis earum extrema reapse dari possunt: cum ergo triplex illa apprehensio subiecti, prædicati, & copulæ sine iudicio inuenire sit, profecto iudicium, quod est relatio quadam, & vnio intentionalis simplicium apprehensionum, earum obiecta necens, aut separans, ab eis realiter distinguetur.

Non me latet, aliquos respondere, iudicium positum 21

positum esse in apprehensionibus subiecti, prædicati, & copulæ, non quomodolibet sumptis, sed prout se se inuicem connotantibus ea connotatione, quæ cum alteri eorum, nempe subiecto, essentialis, & identica sit, ei tamen adesse, vel abesse queat: non aliter relatio prædicamentalis ac physica, verbi gratia, similitudo in fundamento similiter connotante terminum consistit. Cæterum hæc solutio latè improbatæ est libro tertio, ubi aduersus connotatores ex professo egimus. Deinde pari ratione, velut verius loquar, irrationabilitate fingi posset vnionem, actionem, passionem, cognitionem, volitionem, vibrationem, durationem, aliasque huiusmodi relationes transcendentales non esse modos, aut res absolutas ab extremis suis realiter distinctas, sed potius in vno extremorum prout essentialiter connotante alterum eas consistere, haud secus ac, iuxta auctores huius solutionis, affirmatio prædicati de subiecto in huius solius apprehensione prout connotante apprehensionem prædicati, & copulæ sita est. Adde, quod apprehensio subiecti per physicam quandam connotationem sibi denuo aduenientem, necnon etiam apprehensio prædicati, & copulæ per hoc quod eam connotationem terminant, representationem variare nequeant. Quis enim dicat, cognitionem Petri, v.g. nondum existentis representationem sibi essentialem mutare, eo solum quod existentiam Petri à Deo creatam de nouo physice connotet? In præsentia autem par est ratio. Hoc autem ipso, quod ex apprehensiones representationem non variant, in iudicium migrare non possunt. Adde, quod apprehensio subiecti si per seipsum essentialiter connotaret apprehensiones prædicati, & copulæ, quas non connotabat antea, se sola iudicium esse posset merito illius connotationis, sicuti fundamentum se solo est similitudo sui cum termino, hoc ipso quod simile sit, per quandam connotationem sibi essentialem, denuo tamen accedentem. Quapropter sibi satis non constant hi auctores, ubi iudicium in tribus apprehensionibus, & non potius in vna sola statuunt, cum alias similitudinem, non in fundamento & termino, sed in solo fundamento collocent.

22

Iam secunda opinio eorum, quas initio memorauimus, impugnatur: nam possunt dari simul in intellectu duæ illæ apprehensiones, subiecti nimirum vt conuenientis prædicato, & prædicati vt retrorsum conuenientis subiecto, quin intellectus prædicatum de subiecto per iudicium affirmer. Cum enim audio stellas aliquas esse pares, & stellas veluti pares, siue vt conuenientes ei relationi paritatis, & hanc relationem vt stellis consentaneam apprehendo, & tamen propterea stellas pares esse non iudico, sed anceps hareo, vel si res tulerit, contrarium affirmo. Quando ergo separabilitas realis, realis distinctionis est irrefragabilis index, certè iudicium, aut affirmatio intellectus nostri à bina illa apprehensione realiter distinguetur. Rursus apprehensio mera subiecti, illud cum prædicato comparat, & componit, iuxta hos auctores, quantumlibet indiuisibilis sit: iudicium autem mera apprehensione perfectius est: poterit igitur tam subiectum cum prædicato, quam è conuerso componere, esto indiuisibile sit. Præterea, sicut vnio obiectiua subiecti, & prædicati ab vtroque non distinguitur realiter, ita etiam ipsum prædicatum à subiecto realiter indistinctum est: at non obstante reali indistinctione subiecti, & prædicati admittitur ab aduersariis in iudicio duplex apprehensio, altera subiecti, altera prædicati: ergo etiam non refragante indistinctione reali copulæ obiectiue ab extremis, da-

R. P. Richardi Lincei, Philosoph. Tom. III.

bitur tamen apprehensio copulæ omnino distincta ab apprehensionibus extremorum secundum se, ac proinde inconsequenter in bina duntaxat apprehensione constituitur iudicium. Denique cum aliquis vult efficaciter, amicum, exempli gratia, esse sanum, eiusmodi volitio efficax non est duplex inefficax, quarum vna amicum cum respectu ad sanitatem & altera hanc vicissim cum conuenientia & respectu ad illum desiderat. Quamuis enim aliqui volitionem efficacem esse intensiuè compositam tueantur, cæterum nemo hæcenus asseruit, eam esse extensiuè compositam ex multis affectibus inefficacibus circa diuersa obiecta. Pari ergo ratione iudicium nostrum, haudquaquam erit qualitas composita, ex duplici illa apprehensione, quarum vna subiectum vt prædicato aptum, & alia prædicatum vt subiecto consentaneum apprehendat.

23

Tertia etiam opinio superius memorata confutatur: quod enim apprehensiones subiecti, & prædicati media apprehensione copulæ est, physice vniri incipiant, non variat earum essentialem representationem, alioqui tals vnio duntaxat physica non esset: hoc autem ipso quod earum representatio nullam varietatem, aut mutationem subeat, non poterant iudicare, quod ante non iudicabant, propter id quod iudicium in representatione situm est: munere ergo illius vnionis physice, eiusmodi apprehensiones nequibunt in iudicium transire, aut quod antea solum apprehendebant, postea affirmare, aut negare. Secundo, tamen substantiæ vel quantitates, prius solutæ, deinde vniri incipiant, vt cum plures aquæ in vniam confluunt; cæterum inauditum hæcenus est, duo accidentia prius in aliquo subiecto soluta, postmodum incipere in eo copulari; atque suapte ingenio indifferencia esse, vt iam vniantur, iam separentur. Quis non rideat, candorem lactis & eius dulcedinem, interdum in eo vnire, interdum vero separari, & non potius semper inuicem separatos esse? Aut quis non videat, ridiculum esse, quod duo coloris gradus eidem inherentes subiecto, inter se tamen aliquando separati, aliquando vero vniti sint, & non potius, vel semper soluti, vel, quod magis receptum est, semper copulati, vnione illa quæ intensiuè dicitur. Tertio ex ea sententia fieret, belluas iudicare posse: siquidem apprehensiones simplices, quas habent, inuicem physice vniantur, ubi apprehensiones nostræ physico quodam nexu copulentur, haud aliter atque gradus intentionis, aliæque quævis accidentia, non minus in cæteris animalibus, quam in nobis physice connectuntur: quocirca aduersarij, vt in nobis iudicium explicant, illud bestiis adscribunt.

24

Post hæc quartò: etsi vtrunque intelligi possit, quatenus copula affirmatiua, huic verbo, *est*, respondens, per physicam vnionem sui cum apprehensionibus extremorum hæc inter se intentionaliter componi, atque inuicem affirmari faciat; at imperceptibile est, qua ratione copula negatiua, huic verbo, *non est*, correspondens, per physicum sui nexum cum apprehensionibus subiecti, & prædicati hæc inter se intentionaliter diuidat, alterumque de altero deneger: propositio ergo negatiua vnionem physicam non claudit, nec per eam potest commodè explicari. Quintò: compositum physicum, cuiusmodi est homo, verbi gratia, ex vnione intentionali materiæ, & formæ confluere nequit: qui ergo fieri potest, vt compositum intentionale quale est iudicium, vnione aliqua physica extremorum coalescat?

Vltèrius sextò: quemadmodum aduersarij philosophantur

25

F f

sophantur

sophantur de iudicio, ita etiam, setuata proportione, de syllogismo, & hunc non minus quam illud putant vnione, ac nexu aliquo physico coalescere: sicut ergo apprehensiones omnes, quæ constat iudicium, mediata vel immediate necluntur, & continuantur, ita similiter propositiones, quibus syllogismus componitur, vnita esse debent: consequens autem est falsum: namque vt conclusio per copulam huic vocula, *ergo*, subiectam vniatur præmissis, cæterum hæc in mente nostra soluta, & inunita sunt: quæ enim vox earum nexum aliquem physicum vel leuiter indicat: nisi quis velit, eas inter se mediate connecti, eo scilicet nexu, quo conclusioni immediate vniuntur: hoc autem ridiculum est, nam prius natura, quam eliciatur conclusio, antecedit in intellectu maior & minor: vtriusque ergo artificium præcedit, vt existentiam conclusionis, sic etiam quamvis vnionem physicam cum illa, atque adeo per eam non constituitur: maior ergo & minor, prout tales, neutiquam vniuntur mediate, vel immediate. Adde, quod nulla detur vnio præmissarum, cum assensu conclusionis: hoc enim ipso quod præmissæ ad conclusionem dirigant, eamque inferant, syllogismus resultat: at eiusmodi directio non consistit in vnione continuatiua præmissarum cum assensu conclusionis, haud aliter ac secundum omnes cognitio dirigit ad amorem, cui tamen physice non vnitur: neutiquam ergo ad constitutionem, ac rationem syllogismi requiritur vlla præmissarum cum assensu conclusionis vnio: iniuria ergo obtruditur. Denique in hac sententia, commode nequit explicari, quamobrem vnum extremum sit subiectum, & aliud prædicatum, & non è diuerso: curvè in mente resultet hæc propositio, *homo est animal*, & non rectorum hæc, *animal est homo*? Siquidem vnio physica apprehensionum hominis, & animalis eas afficit ex æquo, & absque villo discrimine: nequit ergo efficere vt potius animal de homine, quam è contrario homo de animali prædicetur, non secus ac relatio indistantiæ æquè me & Petrum afficiens, haud magis facit me propè Petrum, quam hunc propè me esse. Quin imò, nisi me mea opinio fallit, talis vnio physica apprehensionum hominis, & animalis, neutrum subiecti, neutrumque prædicari faciet, aut poterit, quemadmodum vnio continuatiua partium ligni, v. g. neutram alteri subiecti, neutramve alteri inesse, eamve informare efficit. Quod si ad naturam apprehensionum aduersarij confugiant, & ab ea etiam putent proficisci quod detur subiectum, & prædicatum, & quod altera denominatio harum vni extremo, & altera alij destinata conueniat, hoc solo profugio debent esse contenti, nec est quod insuper id genus vnionem physicam comminiscantur.

26. Hinc confutari potest quarta opinio, earum quas supra proposuimus. Pleraque enim argumenta contra superiorem sententiam facta, huic etiam negotium facessunt. Etenim principio, quod vna apprehensio physice in alia recipiatur, earum representationem non variat: illius ergo beneficio neutiquam migrabunt in iudicium, quod essentialiter est representatio quadam, & porro nihil aliud. Deinde an non deridiculum est, duo accidentia in eodem recepta subiecto, tamen indifferentia esse, vt alterum in altero recipiatur, & modò vnum horum, modò aliud euenire? Equidem hoc permissio, nihil video, cur duo gradus intensiōis, necnon duæ qualitates extensæ, nimirum albedo, & dulcedo, atque etiam, quod plus est, materia, & forma, aliaque multa extrema, posteaquam simul existunt, tamen indifferentia non sint, vt vnum in altero

fusciatur, vel ab eo sit potius independens. Ad hæc non conspicio, cur belluæ irrationales, in hac sententia, non iudicent, cum fieri possit, vt apprehensio obiectiuæ conuenientiæ vnus extremi cum alio, in vnus potius quam alterius apprehensione simplici physice recipiatur.

27. Præterea: vt vnum extremum negetur de alio & ab eo mente diuidatur, quid conferre potest apprehensionem vnus extremi in ea, qua apprehendimus aliud, physice recipi, eive actu secundo, aut certè actu primo vniri, cum potius hæc receptio, atque vnio negationi, siue diuisioni obesse videatur? Rursus quomodo fieri potest, vt syllogismus receptione physica vnus propositionis in alia, aut aliis coalescat? an enim præmissæ in assensu conclusionis physice recipiuntur, eoque sunt natura posteriores, quo tamen constat, natura priores esse, propterea quod illum inferant? An vero conclusionis assensus non in intellectu modo, sed in duabus etiam præmissis, atque adeo in septem subiectis partialibus recipitur? quatenus numerositate subiectorum nec accidentia physica, & longè magis imperfecta opus habent. Vltius, ens naturale seu physicum, v. g. homo ad sui constitutionem, & essentiam haud exposcit vllam subiectionem intentionalem, qua vna eius pars alteri, materia scilicet formæ subiiciatur, & hæc de illa prædicetur, aut è diuerso: eiusmodi enim subiectio, & prædicatio est falsæ, item est accidens effectusque hominis; quæ duæ causæ ne possint cum constituere, sufficiunt: cur ergo ens intentionale, cuiusmodi est propositio, vlla receptione physica vnus partis suæ in alia indigeat? Denique quis dicat, affectum efficacem vnus inefficacis in alio receptione physica satis constitui?

28. Duabus, quæ supersunt, sententiis parum aut nihil immorandum est. Alteram enim asserentem propositionem nostri intellectus regulariter loquendo esse compositam qualitatem, & non nisi rarissime simplicem, & indiuisibilem, argumentis superius factis falsam esse constat, præsertim iis quibus apprehensiones iudicio præuias ab eo nunc separabiles esse ostendimus. Alteram vero sententiam qua statuitur, etiam in alio rerum euentu impossibile esse iudicium, quod simplex, atque indiuidua qualitas non sit, falsam esse quoque, atque adeo posteriorem nostræ sententiæ partem verissimam esse suadet. Licet apprehensiones omnes, quas modò in nobis experimur, eiusmodi sint, vt à iudicio separabiles sint; cæterum non repugnant apprehensiones aliquæ à iudicio circa obiectum, quod apprehendunt; omnino inseparabiles: quæ enim in iis terminorum implicatio, vel leuissima apparet? At tales apprehensiones, circumscripto quouis alio, iudicium constituere possunt: etenim iudicium nihil aliud est, quam relatio, & comparatio quadam subiecti cum prædicato, & huius cum illo: at relatio, & comparatio non distinguitur realiter à fundamento, & termino, quoties hæc ab ea inseparabilia sunt: iudicium ergo à subiecto, & prædicato formali, siue à duum extremorum duplici, aut multiplici apprehensione neutiquam distinguitur, sed potius iis constituitur, quæ est illarum inseparabilitas à iudicio. Quod vero relatio non distinguitur à fundamento & termino, vbi hæc ambo ab ea separari nequeant, palam est in nostris principiis hæc quidem tempestate magis receptis: idcirco namque similitudo prædicamentalis, v. g. non distinguitur realiter à fundamento, & termino, quia sine similitudine, ea extrema esse non possunt. Par ratio est æqualitatis, & inæqualitatis, Paternitatis, & Filiationis, & aliarum quatuorcumque relationum prædicamentaliū. Quin

Quin etiam si esset aliqua causa, & effectus, aut aliquis intellectus, & obiectum, aut aliqua res, & tempus locusve, aut aliqua materia, & forma ab actione, cognitione, duratione, vocatione, vnione inseparabiles; haudquaquam hæ relationes ab iis extremis realiter distinguerentur, aut eorum modi essent, tamen modo aliter vsuueniat, inseparabilitatis defectu, vt suis locis latè, atque ex professo exposuimus.

- 29 Nec vero nobis obiici potest, inexplicabile in nostris principiis esse, cur nam vi illius iudicij compositi potius hominem esse animal, v. g. quam è contrario animal esse hominem affirmetur? Sicut enim in aduersariorum sententia semper, atque etiam in nostra de facto, vt aiunt, peculiaris ille modus affirmandi animal de homine, & non è diuerso, in naturam, & genium indiuisibilis iudicij reuocari potest, ac debet; ita similiter in specialem apprehensionum naturam, & conditionem non immerito referri poterit, quod in iudicio composito alterius seriei homo vicem subiecti, & animal locum prædicati obtrineat. Præterea, sicut vna quantitas est alia maior & minor; è contrario vero alia priori minor, & non maior, tamen relatio maioris & minoris sit composita, atque in vtraque quantitate circumscripto quouis modo sita; huiusque discriminis, ac disquirantia, vt aiunt, alia ratio præter vtriusque quantitatis naturam, & ingenium scrutanda non est, ita similiter in præsentia, &c. Reliqua argumenta tum contra hanc, tum etiam contra priorem nostræ sententiæ partem, decursu huius capitis soluta manent.

C A P V T IV.

De compositione, & diuisione, quæ sit per primam, & secundam operationem intellectus.

- 30 DVplex est compositio, & diuisio: alia est vnus obiecti cum alio, alia vnus actus cum alio, aliorumve collectione quadam. Prior est aliquando solius rationis, ac neutiquam realis, cum contingat solum distingui ratione obiecta illa, quæ componuntur inuicem aut inuicem diuiduntur. Posterior vero sæpè est realis: quippe quæ inter actus realiter distinctos versatur, eosque iungit, aut seungit. Compositio, & diuisio priori modo sumptæ nunquam sunt eiusdem indolis, altera enim est affirmatio vnus de alio, altera negatio; nec vnquam fit, vt intellectus idem simul affirmet, negetque: posteriori modo sumptæ paruo, aut nullo modo discrepant, & respectu eorundem actuum in eundem intellectum simul conueniunt: hoc enim pacto simul componere est simul tempore dicere actus inter se realiter distinctos, & ordine naturæ inæquales: contra vero diuidere est inter se realiter distinguere, & quadam naturæ successione separare actus, qui tempore coarui sint, eoque simul perdurent: quæ duo quis iuxta non habeat? Ad priorem compositionem respexit B. Thomas lib. 1. perihier. lect. 3. ad posteriorem vero 1. part. quæst. 58. art. 4.
- 31 Quod autem ad priorem compositionem & diuisionem attinet, eas assero primò cum Auerſa q. 24. Logicæ sect. 2. ac B. Thom. ab eo citato conuenire non solum nobis, sed etiam Deo, & Angelis. Ratio huius assertionis est: quoniam ista compositio, & diuisio nihili aliud est, quam affirmatio, & negatio vnus de alio, vt præter B. Thomam, & Auerſam docet Masius 1. perihier. cap. 4. quæst. 3. & cum eo alij plures:

R. P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

atque Deus, & Angelus vnus de alio affirmant, nec non negant: hac ergo ratione componunt, & diuidunt. Maior est satis probata, & explicata: minor adeo certa, vt nulla probatione egeat. Huc facit illud Dionysij de diuin. nom. cap. 7. *Igitur seipsam diuina sapientia cognoscens, cognoscit omnia, immaterialiter materialia, & indiuisibiliter diuisibilia, & multa vnitivè.* Ecquid autem est diuinam sapientiam multa, ac diuisibilia, vnitivè, & indiuisibiliter attingere, quam ea inuicem copulare & vnire, seu vnione affirmatiua, quæ compositio dicitur, seu negatiua, quæ diuisio appellatur.

Enimvero aliqui cum P. Hurtado disp. 7. de anim. sect. 2. §. 9. licet re consentiant, nomen tamen litem nobis intendunt, & ita contra statutam doctrinam argumentantur. Quoties vnus affirmatur, aut negatur de alio, necesse est, vt obiectum secundum se & reapse sit multiplex, vnumve & aliud; vel si eiusmodi non est, vt ab ipso intellectus multiplicetur, ac distinguatur: alias eius cognitio erit quidem affirmatio, aut negatio, non tamen vnus de alio, sicut ad compositionem, & diuisionem oportet. Sed cum Deus iudicat hominem, v. g. esse animal rationale, aut hominem esse hominem, obiectum ab eo cognitum haud est sponte sua multiplex, ac diuersum, vt constat; haud etiam à Deo ratione distinguitur, vel plurificatur: distingui enim ratione duo, est alterum cognosci, alterum ignorari, aut vnum clarè, aliud obscure dignosci; quod si ea ex æquo sint cognita, potius ratione eadem erunt, quam distincta & plura: at nulla ignorantia, obsecutus nulla in Deum cadit: non ergo potest distinguere ratione, non vnus de alio affirmare, & negare, sicut ad componendum, ac diuidendum opus est. Confirmatur, cum intellectus noster asserit, homo est animal rationale, aut homo est homo, idcirco affirmat vnus de alio, quia si sermo sit de homine, & animali rationali, hoc clarè, & illum obscure cognoscit, istaque cognitionum diuersitas in obiecta redundat, eaque facit vnus & aliud, atque ita multiplicata iudicio subiicit: sin autem sermo sit de homine hominimè comparato, sanè ante iudicium, hominem per duas apprehensiones velut geminum apprehendit noster intellectus, quo eadem geminationem deinde possit iudicare, ac proinde etiam hic interuenit, aliqua actuum distinctio quæ in obiectum resiliat, illudque vnus, & aliud efficiat. Atqui in Deo omnis actuum distinctio realis, omnis cognitionum vera multiplicitas repugnat: haud ergo propriè componit, haud etiam diuidit. Totam hanc argumentationem P. Hurtado supra laudatus compendio tetigit his verbis: *Deus autem, licet de obiectis iudicat, non tamen componit illa, quia neque habet apprehensionem, neque ratione subiectum à prædicato distinguit.*

Sed hæc non vrgent: quoniam distinctio rationis duplex est, alia formalis extrinseca, quam diuersi actus nostri in obiectu, quod inadæquatè percipiunt, eo ipso refundunt; alia fundamentalis intrinseca, & aliud non est, quam aptitudo quadam, vt res per eiusmodi denominationem extrinsecam ita distinguatur: quocunque autem modo horum duum vnus obiectum distinguatur ab alio, satis erit vtambo componantur aut diuidantur: etenim priori modo non distinguuntur obiecta nisi impropiè, & secundum quid; quid enim refert, actus nostros propriè distinctos esse, vt eorum obiecta tantundem distinguantur? cum ergo vel iuxta ipsos aduersarios eiusmodi obiectorum distinctio ab actibus profecta sufficiat, vt ea componantur, ac diuidantur quodammodo, cur non

F f 2

etiam

etiam posterior ad idipsum satis sit: at obiecta, in quæ Deus affirmando, aut negando fertur, tamque adæquate & clarè, ut ea comprehendat, nihilominus ita comparata sunt, ut secundo illo modo, videlicet ratione fundamentali distinguantur: tam ergo poterunt à Deo componi ac diuidi, quam intellectus noster, qui ratione formali distinguit, inuicem componit, aut dissepārat. Hinc non solum ad argumentum, sed etiam ad eius confirmationem patet.

34 Quod spectat ad compositionem & diuisionem posteriori, modo sumptas, assero secundo, eas nobis non semper, sed plerumque; Angelis quidem multis, tamen non plerumque, at Deo nunquam conuenire. Hæc assertio complectitur tres partes: quarum prima, quæ bimembris est, sic exponitur, & probatur. Idcirco in Angelo non datur circa pleaque obiecta naturalia compositio actuum, scilicet iudicij cum apprehensionibus præuiis, quoniam ea omnimoda euidētia, & perspicuitate cognoscit: hinc enim est, ut circa illa non hæreat, nec ea prius apprehendat ac deinde iudicet. At aliqua etiam respectu intellectus nostri supremum quendam, & excellentem euidētiæ gradum habent, ut verbi gratia, quodlibet est vel non est, nequit aliquid simul esse & non esse, numerus ternarius maior est duali: in his ergo non immoratur intellectus humanus, sed eodem naturæ instanti, eodemque actu ea simul iudicat, & apprehendit, ideoque non semper actuum compositio, & diuisio in nobis reperitur. Plerumque tamen reperi constat: nam pleraque nobis hoc corporis ergastulo clausis, huiusque vitæ tenebris, cæca, caligine meris, incerta sunt, & obscura, aut ita euidētia, ut non statim, sed ex intervallo ad assensum, & comprehensionem sui rapiant: quare eorum iudicium imperfecta quadam & simplex notitia ordine naturæ antenertit. Huic assertionis nostræ parti, quoad posterius eius membrum, suffragantur omnes: quoad utrumque vero non pauci cum P. Hurtado suprà disp. 7. de anim. sect. 1.

35 At quoad prius eius membrum ei refragatur Patet Tellez 4. part. summæ suæ disp. 85. sect. 1. n. 10. & 15. & 16. eique etiam refragari videtur Auerſa cit. q. 24. Logica sect. 2. §. dicendum tamen est, paulo post medium. Prætermisſis autem huius doctrinæ leuioribus argumentis, sic argues. Intellectus noster nequit in hac vita ullatenus intelligere, nedum iudicare nisi, dependenter à sensibus saltem internis; eorumque cognitione prælucente: cognitio ergo sensitua nequit naturaliter non dirigere ad quoduis iudicium intellectus nostri: at non immediatè, quæ est eius imperfectio, & iudicij perfectio: ergo mediante apprehensione simplici, atque adeo hæc ex natura rei est necessaria ad iudicium: unde sine vtriusque quadam compositione naturaliter iudicare nihil possumus. Quocirca etiam quando intellectiua facultas est affirmatura, verbi gratia, quodlibet esse, aut non esse, prius oportet ab ea simpliciter apprehendi quodlibet, & præterea esse, & insuper non esse. Eademque ratio est cuiusvis alterius scibilis, quantauis euidētia, & claritate nobis alluceat.

36 Breuiter tamen me ab hac difficultate expedio, & respondeo: quemadmodum apprehensio intellectualis bifariam dirigit ad amorem perfectum, & efficacem, nimirum immediatè, aut mediante iudicio; ita sensio materialis dupliciter etiam dirigit ad iudicium, siue perfectam, & veluti efficacem rei cognitionem, nempe aut immediatè, ac per semetipsam, aut interstitio alicuius apprehen-

sionis spiritualis, à se prius excitata: atque quamuis posterior directio sit frequentior, tamen prior omnino nulla non est. Adice, quod sensio materialis interna immediatè dirigat ad apprehensionem spiritualem: quidni igitur, eadem aliquando immidiatione, ad iudicium disponat? Nam quod magis superetur perfectione à iudicio quam à simplici apprehensione, parum, aut nihil interest: quoniam ad neutrum eorum actuum spiritualium requiritur per se, sed solum per accidens, & ob impedimentum vnionis cum corruptibili corpore, quo semel liber animus nullius sensationis ope fretus statim intelligit, eoque priori luce res omnes cernit, quo non per crassum hoc mortalitatis nostræ velum, ac veluti corneum specular ei tunc apparent: quamuis igitur cognitio non possit immediatè dirigere ad amorem quantolibet excessi perfectionis hic illam superet, & esto sit spiritualis, illa vero materialis & sensitua, quia scilicet cognitio requiritur per se & in quouis statu ad amorem, ac proinde ab eo se fortassis superari, sed non quantocumque intervallo patietur. Cæterum sensio materialis comparata cum cognitione spirituali ad quam per accidens tantum, & in aliquo statu, huius nempe vitæ, requiritur, ad eam, quantouis momento se perfectior sit, atque adeo tamen sit iudicium, immediatè poterit dirigere, nihilo secus ac ad apprehensionem spiritualem disponit. Sic præmissa naturalis dirigit immediatè non solum ad conclusionem naturalem, sed etiam aliquando ad conclusionem supernaturalem, Theologicam, fideiue diuinæ, se longissimè perfectiorem, videlicet quia vtræque conclusio quoad suam substantiam à tali præmissa per se non dependet, & sine ea, & quauis alia potest reperi: cur ergo sensio materialis semper ad apprehensionem spiritualem, & non etiam interdum ad iudicium eiusdem ordinis, sed multis partibus perfectius immediatè non dirigat?

37 Quod si istes, ut intellectus noster non sine actuum compositione & diuisione cognoscat, sufficere si, veluti concessum est, omnem eius intellectiōnem aliqua semper materialis sensio, & vel externa, vel saltem interna præcedat: respondeo, animam nostram, prout est intellectiua simul & sensitua, nunquam cognoscere in huius vitæ statu nisi componendo, & diuidendo, & hoc tantum ex illa sensationum ad intellectiōnem spiritualem necessaria antecessione colligi: cæterum inde non fieri intellectum nostrum, quatenus præcisè talis est, & sicut modo vsurpatur, & controuertitur, semper componere, ac diuidere, & aliter intelligendo non esse. Hæc ratione, quamuis Angelus plerumque cognitiones suas cum actibus voluntatis componat, & hos ab illis in se realiter diuidat, seu distinguat, tamen intellectus Angelicus compositione, ac diuisione ut plurimum carere dicitur, quia nimirum eius voluntas est diuersa potentia realiter, aut ratione ab eius intellectu, ac proinde hic, merito actum illius, nec componit nec diuidit. Similiter ergo in præsentī, &c.

38 Aliud argumentum, quæ prioris cōfirmatio potest esse sic oppones, editis his vocibus, quodlibet est, vel non est, prius eas earūque significationē apprehendo, quā affirmē quod eis subest, illasque proferenti essentiam: at quod significat, est quodlibet esse vel nō esse: hoc ergo prius simpliciter apprehēdo, quā id iudicem: adeoque falsum est, illam veritatē, & aliā quancumque paris euidētiæ eodem actu, & non diuersis apprehendi, simulque iudicari: ita namque si res se haberet, haud posset, admitti dicta naturæ prioritas, quippe quæ distinctio

distinctionem actuum omnino postulat. Maior suadetur; nam voces illæ sunt signum instrumentale rei, quam ex instituto significant, non nisi prius igitur cognita, & apprehensa ducunt in eius perfectiorem & iudicativam cognitionem. Sic cognitio fumi, cognitionem ignis, & rami hederacei cognitionem tabernæ natura anteuertunt; atque idem in quouis alio instrumentali signo visitur.

39 Respondeo in primis, hoc falsum esse prius debere cognosci significationem arbitriam vocum, aut rerum, quam vi illarum in eius quod significant notitiam adducamur: quin imo probabilius, & verius est, eiusmodi significationem nec prius, nec posterius cognosci oportere, quoties res ei subiecta cognitionem terminatura est: ut enim ostensum in Dial. lib. 6. sicut ut cognoscam, non est necesse, ut cognitionem meam ullatenus percipiam, sed satis est ut ea mihi insit, ita similiter non est opus ut cognoscam id per quod signum instrumentale repræsentat eiusve significationem, & connexionem cum re cui ex arbitrio, & instituto imponitur, sed satis est, ut percepta eius entitate materiali, illius significatio, & connexio, quædam, nempe species impressa, mihi inexistat. Respondeo secundò, sufficere ut per sensum internum percipiantur voces, earumque significatio, idque si maius in aliquo priori naturæ instanti, ad hoc ut eis salua maneat ratio signi instrumentalis. Deinde tertio, non esse quamobrem præcedat semper cognitio signi instrumentalis, cognitionem rei significare, sed aliquando id verum esse ut exemplis in argumento adductis liquet; aliquando vero contrarium, Deum enim in creaturis eodem actu cognitis, velut in signo instrumentali, cognoscimus, & esse quia mundum hunc produxit, vno affirmamus iudicio. Denique respondeo quando cognoscitur hoc principium, quodlibet est vel non est, aliudve tantum euidens, mediata & in obiecto alicuius sensus externi, ac dependenter ab eius operatione, tum fortassis eius apprehensionem simplicem & iudicium realiter distingui, & hoc illa naturaliter posterius esse, atque hoc solum argumento facto ad summum probari; cæterum à P. Hurt. citata disp. 7. de anim. s. 1. §. 7. aliisq; nostræ sententiæ patronis id vltro admitti, tantumq; negari ab eis talem apprehensionis, & iudicii distinctionem, quoties aliquod principium summè euidens immediate, & non in aures extrinsecus verberante sono, aut oculos pascente Scriptura, aliove obiecto sensibili, sed in semetipso percipitur: quod si queras quodam sit utrinque discrimen, in promptu est: siquidem apprehensio rei immediata longè perfectior est quam mediata, vnde non mirum est, si nunquam hæc, aliquando vero illa iudicium esse, ab eoque minimè distingui postulet.

40 Multo magis aduersantur nobis aliqui, quos suppreffis nominibus refert P. Tellez 4. p. sum. cit. disp. 8. §. 1. n. 8. hi enim etiam supernaturaliter, ac diuinitus fieri posse negant, ut intellectus noster sine apprehensione præuia iudicet, aut, quod perinde est, non componendo, & diuidendo plures actus in aliquo statu intelligat: proinde contra primum illud nostræ asserptionis secundæ membrum ita arguunt. Si inuenire esset iudicium formale sine apprehensione præuia, illud apprehendendi, & simul affirmandi, negandive munus exerceret: at repugnat omnino, iudicium formale, cui utrumque illud officium conueniat, & quod utrique pars sit: esset enim simul iudicium formale, ut supponitur, & non esset iudicium formale, sed tantum virtuale, sicut, quando vnus actus partes præmissarum & conclusionis sustinet, vnamque veritatem ex alia colligit, discursus non formalis, sed virtualis appellatur. Rursus secundò: amor pendet essentialiter

R. P. Richardi Lincolniensis, Philosoph. Tom. III.

à cognitione, quæ sibi veluti faciem præfert: ergo & iudicium ab apprehensione præuia. Item tertia mentis operatio, videlicet conclusio prout talis, supponit omnimoda necessitate, secundà ex qua oriatur: ergo & secunda primam, siue iudicium, apprehensionem. Denique apprehensio præsupponit essentialiter speciem impressam: ergo, & cognitio apprehensiuæ iudicativam.

41 Cæterum diuinitus saltem fieri posse, ut intellectus humanus iudicet sine apprehensione præuia ac distincta; quin etiam hac simplicitate, & perfectione Deum modo à beatis videri longè probabilior est, atque etiam communior opinio, eamque tenent cum B. Th. q. 8. de verit. artic. 1. & Scotus in 4. dist. 49. non pauci utriusque sectatores. Item Molina 1. p. q. 12. artic. 3. disp. 6. Suarez in sum. lib. 2. de attrib. c. 18. & alij plures apud Ægidium tom. 1. de beat. q. 9. art. 3. Probatur autem: tum quia, ut superius visum, intellectus noster sine apprehensione præuia naturaliter aliquando diiudicat: ergo à fortiori diuinitus: tum etiam quia Angelus ex natura rei multoties intelligit, quin ab vno actu ad alium gradum faciat, aut ab apprehensione ad iudicium ascendat, ut statim clarebit, & ne ab aduersariis negatur: quidni ergo anima nostra supernaturaliter eleuata, & lumine gloriæ irradiata, eam cognoscendi perfectionem obtineat? tum denique, quia iudicium apprehensione simplici minime posterius genere suo non repugnat, ut patet in Leo Opt. Max. quod autem, etiam si humanum sit, & per hanc contrahatur differentiam, specialiter non repugnet, contrariarum rationum debilitas satis ostendat.

42 Ad primam earum dicendum est, eam nobis quid rem tangit concedere, ac de solis nominibus litem mouere: quod enim re ipsa conantur, est intellectum, eodem indiuisibili actu, seclusisq; diuersis, apprehendere obiectum aliquod, & de eo simul affirmare quiddam, aut negare: hoc autem adepti, an eiusmodi cognitio appellanda sit iudicium formale vel potius virtuale, controuersiam vocum putamus, ac de ea magno opere non laboramus. Deinde vocibus uti nos aptis & eiuscemodi actum intellectus nostri nuncupandum esse, non iudicium virtuale, sed formale, etiam si in discursu indiuisibili diuisibile, & multiplex obiectum cognoscente aliter vsuueniat, inde perspicuum est: quia discursus significat pluralitatem actuum, à quorum vno ad alium intellectus properat, quare si actus sit reuera vnus ac duntaxat virtualiter, vel æquiualeuter pluralis, haud mirum, si discursus tantum virtualis sit, eoque, & non alio nomine gaudeat: nihil autem simile cernitur in iudicio, quod nulla posterius apprehensione, eius vicem gerit, & sine ea sibi sufficit: imò quamuis eam supponat, simul tamen apprehendit, & iudicat, cum alterum horum in altero essentialiter imbibatur, & nihilominus est iudicium formale: tale igitur erit, esto nullam apprehensionem à se distinctam præmittat.

43 Ad secundam rationem contrariam dicendum est, voluntatem suapte natura esse potentiam cæcam, quare alicuius cognitionis luce ei opus, ut amet odiove habeat: at facultatè iudicatiuâ sponte sua non esse potentiam cæcā: vnde nihil esse quapropter luce facultatis apprehensiuæ, quoties est iudicatura, sepe indigeat. Adde, quod si voluntas sine cognitione amaret de potetia absoluta, eiusdè etiā viribus posset nō amare, sed odisse, ac proinde libertatè exercere, & peccare, quantumlibet esset omni cognitione destituta: item quod appetitus innatus, & phisicus posset esse ad aliquid phisicè, & re ipsa minimè bonum, si appetitus elicitus, & intentionalis ferri posset ad bonum non cognitum siue non intentionaliter tale. Nihil autè his simile,

nihil adeo absurdum in iudicio apprehensionem hand subsequente repereris. Ad tertium argumentum dicendum est, quemadmodum tertia mentis operatio, quatenus tertia, secundam essentialiter supponit, ita secundam prout talem, à prima ne diuinitus non oriri posse: ceterum uti assensus conclusionis, si concludere, ac tertia mentis operatio esse desinat, independens est quoad suam substantiam à iudicio præiudicio, ac secunda intellectus nostri functione: ita similiter iudicium: si secunda rationis operatio, ac functio desinat esse, vel si nunquam talis fuit, quidni independens sit à simplici apprehensione, unde intellectus orditur? Ad postremum dicendum est, concursum specierum ad apprehensionem simplicem posse supernaturaliter à Deo suppleri, non minus quam concursum ac dispositionem caloris, verbi gratia, ad ignem, & aliarum causarum secundarum ad suos effectus: neque oppositum ab aduersariis probari aut posse. Alia momenti minoris argumenta apud P. Tellez relata & reiecta vide si lubet.

44

Porro secundam secundæ assertionis nostræ partem, quæ etiam bimembris est, breuiter suadeo: si tamen prius animaduertam, duplicem esse seriem rerum earum, quæ Angelicæ cognitioni subiiciuntur: prima continet mysteria supernaturalis fidei, futura contingentia, & secreta cordium: altera comprehendit ceteras omnes res à Deo creatas, & omnium ac singularum causas, proprietates, effectusque necessarios. Quod ergo res in priori serie contentas Angelus non sine compositione, & diuisione plurium actuum cognoscit, adeoque multoties eo genere cognitionis utatur, quemadmodum in posterioris assertionis nostræ secundæ parte, sed primo eius membro tradidimus, probatur aduersus Thomistas, qui cum præceptore suo 1. part. quæst. 58. art. 4. & in 2. distinct. 3. omnes oppositum tuerentur: item contra Durand. in 2. distinct. 3. & Agidius ibidem quæst. 2. art. 3. Idcirco nos haud sine compositione, & diuisione plurium actuum, atque iudicij ab apprehensionibus dependentia, ut plurimum intelligimus, quia nonnisi obscure & imperfecte in hac vita plerasque res assequimur: at res prioris serie comprehensas etiam Angelus inuidenter, & imperfecte cognoscit, ut fatentur omnes, & compendio docet P. Suarez lib. 2. de Angelis cap. 33. num. 9. *Circa eiusmodi res ergo plures actus componit, & diuidit, nec aliter eas potest intelligere.* Rursus secundo idipsum declaro, & confirmo: ante assensum fidei supernaturalis ab Angelo, viatore præstitum oportuit ei reuelari, ac proponi veritatem credendam, verbi gratia, Deum esse trinum, & vnum: ergo in priori aliquo instanti naturæ simpliciter apprehendit reuelationem, & in ea mysterium reuelatum: liberum enim fuit Angelo, postquam eius mysterij veritas scienti, & aduertenti proposita est, atque reuelata, assentiri tamen per fidem vel dissentiri: quæ ergo præcessit apprehensio reuelationis, & rei reuelatæ, distincta fuit à sequente iudicio supernaturali assensuque fidei, ac proinde simplex non esse non potuit. Idem facile esset ostendere in futuris contingentibus, necnon actibus liberis internis siue secretis cordium: tum quia circa omnia interdum habet Angelus fidem duntaxat naturalem, aut, quod instar est, meram opinionem: tum etiam quia omni cohibito iudicio, multoties de eis tantum dubitat, nec in vnani partem magis quam in aliam inclinat. Atque huic doctrinæ fauent Pater Suarez relato libro secundo, capite 32. num. 17. P. Hurtado disputatione 7. de anima, sect. 1. §. 8. P. Tellez citata disp. 85. sect. 1. num. 10. necnon teste P. Suarez Sco-

tus, Ochamus, Gabr. Gregor. ac ceteri tum Scotistæ, tum nominales, qui Angelis discursum verum, & formalem permittunt.

Iam, quod res posteriori serie clausæ, sine actuum compositione aut diuisione, percipiantur ab Angelo, adeoque verum sit quod posteriori membro secundæ partis ac secundæ itidem assertionis statuimus, videlicet non plerumque eo componendi & diuidendi modo Angelum uti, sic probatur. Ea de causa noster intellectus ita componit, & diuidit, quia confusè, imperfectè, atque abstractiuè cognoscit: at Angelus secundam illam seriem, & quidquid in ea clauditur, clarè, perfectè, & quidditatiuè percipit, quin etiam non pauca eius seriei comprehensiuè cognoscit: quæ omnia omnibus explorata sunt, & ex perfectione Angeli constant: haud ergo obiecta memorata pluribus actibus inuicem compositis, aut diuisis intelligit. Rursus secundo idipsum explanatur, & declaratur. Aut enim sermo de eis quæ, per vnā speciem ab Angelo cognoscuntur, v. g. de toto genere terrestrium animalium cum omnibus suis speciebus: atque huiusmodi obiecta quamuis à nobis, sicut per diuersas species ita etiam per diuersa percipiuntur iudicia, ceterum Angelus ea cognoscit, & omnia prædicata sua intrinseca, & naturalia de eis affirmat per vnum simplex iudicium, ut auctore Pater Suarez rel. cap. 32. num. 2. Theologis valde familiare est: haud ergo circa illa intellectus Angelicus vlla actuum compositione, vel diuisione utitur: quorum enim actuum obsecro? non iudicij vnus cum alio, quando eatenus vnum solum habet, ut posuimus: non iudicij cum apprehensionibus præiudicij, quas talium obiectorum maximè euidencia ab eo relegat. Aut propterea sermo est de obiectis, quæ Angelus per diuersas species cognoscit, & de quibus distincta iudicia efformat: atque nec circa hæc vnum iudicium cum alio componi, ab eoe diuidi per intellectum Angeli suadeo: nam actus diuersi, quibus Angelus iudicat de alio Angelo, verbi gratia, omnia sua prædicata necessaria ex vna parte, & ex alia de lapide cuncta, quæ naturaliter ei conueniunt, neutiquam præcedunt ordine naturæ, iudicium simplex, quo asserit, Angelum illum distingui à lapide: sed potius independentem ab iis, & esto nunquam eliciantur, vtriusque tamen species immediatè concurrunt ad vnum simplex, & perfectum iudicium, quo talem distinctionem Angelus assequatur: sic causa physica, & sensibiles non raro ad eundem communem effectum concurrunt, & vna operantur, quod erant alioqui separatim operaturæ: cum ergo, ut supra docuimus cum B. Thoma, cui ceteri omnes hac in re adherent, compositio ac diuisio actuum non sine quadam eorum prioritate ac posterioritate naturæ contingat, profecto non est, quod Angelus alium Angelum & lapidem, eumve, & eius actum liberum internum, aut quæcunque alia per diuersas species, ac distinctas cognitiones intelligit, eo ipso componat vel diuidat, quoties alterum cum altero comparat.

Quod si cognita per diuersas species impressas, expressasve inuicem non contendat vi alicuius affirmationis, aut negationis, adhuc clarius liquet, quamobrem ea circa nulla vratur compositione, nulla diuisione: neutra enim euenit, sine quadam collatione, aut relatione vnus obiecti ad aliud, quæ inde in actus singulis obiectis seorsim sumptis intentos resulter, eosque referri quodammodo efficiat. Atque huic doctrinæ, qua statuimus Angelum sine compositione, aut diuisione actuum intelligere quæcunque obiecta, dummodo naturalia sint, non supernaturalia,

45

46

naturalia, necessaria non libera, praesentia & non futura, vtiq; contingentia, lubricant, non solum illi qui omnia obiecta qualiscunque sint indolis, ita ab eo cognosci putant, vt Thomistae omnes, & Durandus, atque Aegidius Romanus paulo supra relati; verumetiam ij qui alias Angelum componere, ac diuidere plures actus non reuunt, vt Suarez, Hurtado, Tellez, quos etiam nuper laudauimus. An autem Angelus per discursum componat, diuidatve plures actus (hactenus enim de primo, & secundo mentis opere tantum egimus) huic loco non conuenit.

47 Postrema secundae assertionis nostrae pars erat, compositionem aut diuisionem plurium actuum Deo nunquam congruere: atque hoc ex infinita eius perfectione & simplicitate distinctionem omnem realem, nisi ubi relationis obest oppositio, excludente, adeo palam est, vt id nemo Catholicus ausit inficiari.

C A P V T V.

Quid sit tertia operatio intellectus, siue argumentatio, & quam distinctionem actuum importet?

48 **A**rgumentatio in communi, est qua intellectus ab vno obiecto ad aliud intentionaliter discurret, atque mouetur, vni obiecto nimirum propter aliud assentiendo, & dissentiendo: verbi gratia, omne rationale est risibile, sed omnis homo est rationalis, ergo est risibilis: aut, omnis homo currit, ergo aliquod currens est homo: quocirca per analogiam, & discursum physicum ab vno loco ad alium solet argumentatio discursus appellari. Porro discursus in quo ea sita est proprie sumptus in solis iudiciis consistit: siquidem ab apprehensione vnius obiecti ad apprehensionem alterius absque vlllo iudicio intellectus progreditur, vt cum vna apprehensio aliam excitat ea, v.g. quae est hominis apprehensionem animalis rationalis, & quae prioris dictionis memoriam sequentis necnon totius orationis, quarum erat quis antea oblitus: nihilominus per eiusmodi apprehensiones intellectus proprie non discurret, nec argumentatur alias etiam belluae discursu, & argumentatiuae siue rationales dici possent, siquidem obiecta apprehendunt, & ex aliis apprehensionibus excitantur ad alias.

49 Prima autem difficultas, eaque non leuis circa naturam argumentationis est, an ea plures complectatur actus realiter distinctos, an vno solo possit esse contenta? Quo in puncto duo occurrunt, alterum de re, alterum de nomine. Quod rem ipsam tangit, est an vnus realiter actus nostri intellectus possit intueri formaliter, & intrinsece quidquid praemissae, & superueniens conclusio respiciunt, ita vt his tribus propositionibus vocalibus, omnis homo est animal, v.g. Petrus est homo, ergo Petrus est animal, non semper tres mentales, sed interdum vna sola multiplici obiecto intenta respondeat? Quod autem ad solius vocis dissidium spectat est, an eiusmodi actus sine vlla numerositate, aut pluralitate, plura tamen obiecta conclusionis videlicet, ac praemissarum immediate, & intrinsece attingens seu reperiatur in nobis seu noster esse non possit, sed solius Dei, aut Angeli, vel beatorum dicendus sit discursus siue argumentatio, necne?

50 Vt ergo primum expediam, arbitror possibilem nobis esse actum iudicii vsque adeo perfectum, vt eo-

dem & indiuisibili realiter assensu cognoscat totum id quod discursus partibus distinctus, huiusque pondus, & instar habeat, quidquid sit, an eius vocem, & nomenclaturam, de quo postea. Ita B. Thom. 1. 2. q. 8. art. 3. Medina & Caietan. eodem loci Ferrara 1. contra gent. cap. 57. Capreol. in 1. dist. 2. q. 1. in solutione ad argumenta contra 4. conclus. Soncin. 6. metaph. q. 10. Geroasius p. 2. de notitiis, q. 2. dubio fin. Durand. in 2. dist. 38. q. 3. ad 3. Fonteca 6. metaph. cap. 1. q. 4. sect. 2. littera D. Tellez part. 1. summæ disp. 18. sect. 2. referri etiam potest ac debet pro eadem sententia, Martinez de Ripalda lib. 3. de ent. supernar. disp. 47. sect. 1. & apud eum ibidem praeter aliquos nuper citatos Ochamus, Gabriel, Paludanus, Molina, Valentia, Salas & Granados. Etenim tum ipse, tum hi omnes in ea sunt opinione, vt censeant, eundem realiter actum nostrum fortiri posse plura obiecta formalia, eaque intrinseca & immediata: actus autem attingens quidquid praemissae & conclusio, eequam exhibet, difficultatem, nisi quod intrinsece, & immediate plura obiecta formalia vt plura respicit: imò ne tantam exhibet iuxta non paucos, eos nimirum qui putant, obiectum conclusionis nullatenus esse formale, sed duntaxat materiale.

Probatur autem haec sententia primo: quia respectus intrinsecus, & formalis vnus ad plura perfectionis est argumentum: proinde Deus quacunque cognoscit aut amat intra, vel extra se, ea omnia non nisi vno actu suo respicit: at plures modi physici tales sunt, vt quibus eorum respiciat formaliter & immediate plura vt plura: v.g. vno, indiuisibili & vna cum sit, duo extrema quae copulat: eadem productio agens, & effectum: vbicatio indiuisibilis locum, & rem ei commensam: duratio tempus, & rem in eo perseuerantem: ergo à fortiori modus intentionalis genere suo perfectior quam physicus, cuiusmodi est cognitio iudicatiua poterit plura obiecta, nimirum praemissarum, & conclusionis, formaliter, & immediate conueni.

Probatur secundò: quoniam est in intellectu nostro haud raro composita quaedam apprehensio non iudicando totius iudicii obiectum quantumlibet multiplex, & diuersum formaliter, & immediate attingens, vt v.g. cum quis audiens, stellas esse pares, totum, quod audit, apprehendit, cohibito tamen iudicio alterutrius partis: similiter ergo nobis inerat aliquando iudicatiua cognitio totius discursus obiectum, quamquam variam ac multiplex, immediate, & formaliter respiciens, quin propterea formaliter, nec nisi ad summum virtualiter discurret, vt hoc in antecessum dicam: Haec ratio est tum à simili; sicut enim se habet apprehensio ad iudicium, ita hoc ad discursum: tum etiam à fortiori, nam quando apprehensio intellectus nostri imperfectissima operatio plura obiecta formaliter, & immediate tamen attingit, æquum non est id perfectionis iudicio negare vt plura obiecta formalia intrinseca, ea nimirum quae sunt conclusionis, & praemissarum, vno eodemque respiciat assensu. Robur, & lucem adicit huic argumento, quod docent Conimb. 1. de interpret. cap. 4. quaest. 4. art. 1. §. vt hanc secundam, & alij aduersariorum fieri posse, vt vna indiuisibilis apprehensio non integri iudicii modò, sed totius etiam demonstrationis obiectum cognoscat, ac penitus exhauriat.

Probatur tercio: nam idem voluntatis actus est multoties intentio, & electio, ac medium propter finem & hunc respectu illius, ac velut eius rationem formalem intrinsece amat vt infra tract. 7. late constabit, vtque admittitur à B. Thoma 1. 2. art. 3. quem sequuntur Conradus Caiet. Bonau. Aegidius, Richard.

Durandus, Capreol. Occam. Gabriel, Maior, Alliacensis & Holcot apud P. Vasquez tom. 1. in 1. 2. d. 33. cap. 1. Similiter etiam suo loco constabit, eundem indivisibilem intellectus actum esse posse respectu diversorum obiectorum scientia simul, & fidei, siue opinionis, adeoque clarum, & obscurum certum, atque incertum. Quia cum ita sint quid est quapropter eodem pariter actu nequeat intellectus noster premissarum & conclusionis obiecta formaliter, & immediate consequi.

54 Quarto probatur: quoniam potest intellectus noster diversis actibus simul attingere idem obiectum, idque intrinsece, & formaliter, veluti cum simul apprehendit, & iudicat idem, nec non circa illud discursit, haud enim est verisimile, aut probabile, ex apprehensione nasci iudicium eiusdem obiecti, aut ex iudicio discursum, nisi huiusmodi actus sibi simul coexistent: omnis namque causa saltem ex natura rei effectum suum tempore comitatur, alias in eum minime fluxura. E contrario ergo poterit intellectus noster vno eodemque realiter actu iudicii in plura obiecta formaliter, & immediate ferri, adeoque totam vnus discursus seriem complecti.

55 Denique probatur hæc sententia quoad possibilitatem saltem supernaturalem eiusmodi indivisibilis iudicii: possibilitas enim eius naturalis argumentis superioribus satis nisi fallor, est ostensa. Idem indivisibilis actus iudicii attingit simul obiectum premissarum, & conclusionis: huius formaliter, & explicite: & illarum materialiter, & implicite, aut è conuerso: priori modo attingit vtrumque obiectum assensus conclusionis: posteriori verò, & contrario assensus premissarum, ut tuerentur omnes, utque ex Arist. lib. 1. de post. resol. cap. 1. & B. Thoma q. 22. de verit. art. 14. ad 3. & 1. q. 8. art. 2. & 3. Optime explicant conimbricenses, in cap. 1. de præcognitis, q. 4. art. 5. & cum eis Tellez vbi supra Poterit ergo Deus supernaturaliter huius iudicii imperfectionem perficere, ac facere, ut intellectus noster eodem actu non solum vnum eorum obiectorum sed vtrumque formaliter, & explicite attingat. Item Deus vno actu totam nostram argumentationem obiectiuam comprehendit: Angeli etiam plura obiecta, circa quæ non discursunt, quantumvis multiplicia, indivisibili, ac non multiplici actu cognoscunt, aliaque in aliis percipiunt: beati quoque creaturas in Deo vident eadem visione, qua ipsum conspiciunt: quorum primum est exploratum inter omnes Theologos. secundum inter plerosque, tertium inter non paucos, Quidni ergo supernaturali virtute possit intellectus noster euehi ut in statu huius vite vnus obiectum propter aliud formaliter, & explicite eodem actu cognoscat, eodemque totum syllogismum adæquet? nec enim propterea metus est, ne Dei, Angeli, aut beatorum perfectionem in cognoscendo possit assequi: tum namque haud carceret obscuritate quadam, mutatione, & compositione Physica, quarum tamen imperfectionum Deus est incapax suapte natura; seu cognoscat, seu quamvis aliam subeat denominationem, intelligeret etiam tunc minori claritate, ac maiori apprehensionis præiua necessitate, quam Angelus, aut homo beatus: ad misso ergo tali actu, de quo est questio, neutiquam est necesse intellectum viatoris eius vi assurgere ad perfectionem Dei in cognoscendo, aut etiam Angeli, seu beatorum. Quamquam quod ad hos spectat absurdum non arbitror nobis supernaturaliter inesse posse in statu viæ præsentisque vitæ cognitionem adeo perfectam, ut nulli eorum actui cedat, si solam Dei visionem excipias.

Ve secundum prius propositum, quam potuero brevissime, absolnam; sentio, actum toti argumentationi parem, eiusque multiplicitatem intentam obiecto, siue noster sit, siue potius nobis repugnet saltem naturaliter, atque in Deo, Angelo, aut beatis duntaxat locum habeat, eum inquam vocari non posse discursum formalem, & verum, ac de huius ratione esse distinctionem, ac pluralitatem realem actuum. Ita B. Thomas, 1. p. q. 14. art. 7. & q. 58. art. 3. & q. 2. de verit. art. 15. & 1. contra gentes cap. 38. Ita etiam Cajetanus, Ferrara, Capreol. Bannez, ac ceteri eius assecla. In eadem sententia est Scotus in 1. q. 4. & 5. laterali prologi ad initium his verbis; *discursus non requirit successionem temporis, nec ordinem temporis sed ordinem naturæ, scilicet quod principium discursus sit naturaliter prius notum, & ut sit causatum alterius extremi discursus*: Constat autem ordinem naturæ, & causalitatis esse non posse nisi inter diversos actus: hos ergo ad discursum requirit Scotus: cui communiter sui adherent. Idem supponit Gabriel in 1. dist. 4. q. vnica, conclus. 8. & 9. eodemque modo loquuntur ceteri fere nominales.

Hij adice ex nostris Patrem Suarez lib. 2. de Angelis cap. 33. num. 5. & lib. 2. de attributis Dei negatuis cap. 18. num. 7. P. Vasquez tomo 2. in 1. p. disp. 222. cap. 1. n. 1. & cap. 2. num. 8. & cap. 3. num. 13. & cap. 4. num. 17. P. Molinam 1. p. q. 14. art. 7. & q. 57. art. 3. P. Valentiam tom. 1. disp. 1. q. 14. puncto 8. §. *hic vero notandum est*. P. Hurtad. disp. 7. de anima f. 3. §. 17. & 18. P. Martinez. t. 1. de ente supernat. lib. 3. f. 5. num. 28. P. Tellez p. 1. summæ disp. 18. f. 2. n. 9. Quid moror? præter paucos nominales, referendos inferius, ceteri omnes Scholastici hoc vtuntur loquendi modo. At consensus Auctorum omnium foissimum argumentum est in controuersis de vocabulo cuiusmodi est præsens: quocirca in ea mihi magis probatur communis, & vltima phrasis quamquam ne improbandam arbitrer quandam eius restrictionem, qua vtuntur Suarez, Valentia, Tellez, & communiter alij superius citati, nimirum sic non dicendum esse discursum formalem, atque in genere suo verum, ac proprium eum actum, quo de loquimur, ut sit dicendus discursus virtualis, & eminentialis.

Ratio quoque, & origo nominis, quo cum plerisque liber vti, optima est meo iudicio. Namque discursus intentionalis dictus est à discursu, ac motu Physico ab vno loco ad alium: at fieri nequit, ut aliquis moueatur aut discurrat Physicè ab vno loci spatio ad aliud sine motuum & vlicationum multiplicitate reali: debet enim, vna latio aliam, & vna vbitas aliam excipere, darique inter eas separatio, alias esset quis simul in pluribus locis: similiter ergo discursus intentionalis iure potuit appellari series quadam, & complexio actuum realiter distinctorum, quorum adminiculo intellectus ab vno obiecto prius cognito gradum facit ad aliud postea cognoscendum.

CAPVT VI.

Difficultates quadam aduersus doctrinam præcedentem.

PRIMÆ decisioni nostræ refragantur Conimbricenses tom. 2. log. lib. 1. posteriorum capite 1. q. 4. art. 5. Auerſa q. 26. log. art. 2. patum ab initio. Gregorius in 1. dist. 1. q. 1. art. 2. & Marsilius in 1. q. 4. art. 1. & quidam alij. Primò quia sequeretur talem

ralem actum indiuisibilem toti tamen syllogismo parem, eiusque obiectum omne complectentem esse, & non esse discursuum: esse, quatenus fertur in obiectum conclusionis: & non esse, quatenus fertur in obiectum præmissarum. Secundo eum fore dependentem, & non dependentem: dependentem, prout attingit obiectum conclusionis obiectiuæ: propter præmissas obiectiuas: independentem, prout has intuetur: Tertio eum fore clarum simul, & obsecurum: certum & incertum; affirmatiuum & negatiuum, videlicet si ex præmissis obiectiuis, quas indiuisibiliter respicere potest, vna claritatē habeat, & alia obsecritatem, vna certitudinem, & alia incertitudinem, & altera denique sit positiua, atque altera negatiua: aut (paulo aliter) si præmissæ formales quibus æquialere, & quorum tendendi mortam sequi potest, eas condiciones tam oppositas sibi vendicent, pro eo ac solet accidere multoties.

60 Quarto eiusmodi actum fore naturalem, & supernaturalem, nimirum quia vnā præmissam obiectiuam, quæ est de fide diuina, & supernaturali, & alteram, quæ est naturalis, ac ratione humana demonstrabilis, necnon conclusionis obiectum vnā cognosceret. Ncnon esse posse supernaturalem, & falsum: supernaturalem, propter vnum obiectum huius ordinis: falsum, quatenus simul tendit in obiectum probabile, & incertum. Sexto eum, quantumuis vnum, & indiuisibilem actum, fore tamen plurium specierum, haud secus ac si aliqua substantia esset simul homo, & equus: esset enim in vna specie, quia præmissa, & esset in alia, quia conclusio.

61 Septimum argumentum est tale: quemadmodum intellectus noster argumentando discurret, ita etiam suus illi discursus est ab apprehensione ad iudicium: at nunquam fieri potest naturaliter, imò, iuxta aliquos, ne supernaturaliter, quin iudicium nostrum apprehensio distincta præcedat, nunquam vt vnus & indiuisibilis actus apprehensionis & iudicii vim obtineat, vt multis ac variis argumentis probati solet, quæ videri possunt supra cap. 4. huiusmodi tractatus: similiter ergo esse non potest, vt in intellectu nostro conclusionem præmissæ non antecedant, vnusve actus harum, & illius partes sustineat. Octauum argumentum: intellectus noster est longe debiliior, & imperfectior Angelico, & diuino: quamuis ergo Deus, & Angelus vno eodemque actu vnum in alio, siue vnum propter aliud cognoscant, ea tamen haud nisi diuersis actibus nobis complecti licebit.

62 Nonum argumentum: habitus præmissarum, & conclusionis non est vnus, & indiuisibilis in nobis, sed potius realiter alius. Alius & experimur enim facilitatē in præmissis struendis, ac disponendis, quin multoties saltem tantam experiamur in conclusione inferendæ; & est contratio, postquam sunt posite præmissæ, magno nobis non constare conclusionem, etiam si nobis difficilis, & operosa fuerit præmissarum constructio, ac fabrica: quocirca huiusmodi separabilitas realis realem vtriusque facilitatis, siue habitus distinctionem arguit satis liquido: atque ita sentiunt de eiusmodi habitibus Soncinas, Durand. & plures alij nostræ sententiæ assertores, & à nobis ostenditur amplius lib. octauo. Similiter ergo præmissarum, & conclusionis actus haud potest vnquam esse vnus, & idem, sed oportet semper eum esse multiplicem: antecedens vnā propositum est, atque probatum: consequentia est bona: Tum propter æqualitatem rationis: tum etiam quia si daretur eiusmodi actus totius argumentationis instar, ac præmissarum, & conclusionis provinciam solus su-

stinens proficisci deberet à simili habitu, eo videlicet qui vnus, & indiuisibilis existens ad assensum præmissarum, necnon conclusionis intellectum nostrum inclinaret, ac facilem redderet: sed huiusmodi habitus non potest in nobis reperiri: ergo nec actus, de quo est controuersia.

Decimum argumentum superiori affine: si posset 63 dari actus aliquis in nobis simul attingens præmissarum, & conclusionis obiecta, pari iure posset in nobis dari actus quidam vnarū præmissarum, & aliarum specie differentium obiecta formalia indiuisibiliter respiciens: hoc autem admissio actus similis habitus nequiret non admitti: quamobrem non tantum daretur in nobis totus habitus intellectuales quot præmissæ obiectiuæ specie diuersæ, sed etiam infiniti alij, scilicet pro innumeris combinationibus variarum præmissarum, & obiectorum formalium: nulla siquidem esset combinatio, quæ vnum quandam peculiarem habitum non postularer: consequens autem est inauditum inter Scholasticos, vt optime disputat in simili P. Martinez l. 3. de ent. supernat. disp. 47. f. 2. n. 11.

Postremum argumentum: non potest fieri vt vnus 64 indiuisibilis actus intellectus nostri respiciat plura vt plura: nam actus omnis intellectus nostri est motus quidam intentionalis: sicut autem vnus motus Physicus & progressiuus vnum terminum exposcit, nec vnquam contingit, aut potest, vt eodem motu Physico diuersa loca petamus, ita similiter, vno eodemque motu intentionali, siue intellectus actu in plura, ac diuersa obiecta, vt plura ferri non possumus. Quæ ratio, sicut & sententia per eam probata, videtur esse. B. Thomæ 1. p. q. 8. art. 1. corpore his verbis: *sicut ad unitatem motus requiritur unitas termini, ita ad unitatem operationis (vtrique intellectualis, de qua sola est sermo) requiritur unitas obiecti*. Et paulo infra: *ex quo patet, quod multa, secundum quod sunt distincta, non possunt simul intelligi*.

65 Secunda decisione nostræ refragantur Gregorius in 1. dist. 7. q. 5. art. 2. & quidam alij Nominales, quos suppressis nominibus refert Hurtadus disp. 7. de anima, l. 3. §. 118. Eorum sententia sequentibus argumentis potest suaderi: discursus intentionalis nihil aliud est quam transitus ab vno obiecto ad aliud, sicut discursus Physicus consistit in transitu ab vno loci spatio ad aliud: at vbi cognoscatur vnum obiectum per aliud, siue in alio, datur eiusmodi transitus: ergo & discursus intentionalis: quapropter, siue in nobis siue in Angelo, aut certe in Deo solo reperitur actus, qui manens vnus, & indiuisibilis, vnum propter aliud cognoscat, non poterit non rationem discursus obtinere. Secundo: Deus opt. max. formaliter discurret: atqui non per distinctos realiter actus, quæ est eius infinita simplicitas, sed per vnū duntaxat: salua igitur manet in vno solo tota discursus essentia, & quidditas: maior, de qua sola potest esse dubitatio, suadet hunc in modum: ratio cum discursu recurrit & eadem est: vnde homo vt discursiuus sic rationalis dicitur; contra vero belluæ, quoniam discursu sunt destituta, ratione quoque carent: at in Deo est perfectissima ratio: an enim audeas, eum irrationalem appellare? pulchre Boetius lib. 3. metro. 9.

*O qui perpetua mundum ratione gubernas
Terrarum, calique faror: qui tempus ab æno
Ire iubes, stabilisque manens das cuncta moueri,
Concinir Manilius in Astronomico lib. 1.
Hoc opus immensi constructum corpore mundi,
Membraque nature diuersa condita forma
Aeris,*

*Aëris, atque ignis, terræ, pelagique iacentis
Vis anima diuina regit, sacroque meatu
Conspirat Deus, & tacita ratione gubernat.*

Tertio discursus Physicus, & localis postulat suapte natura multipliciter, ac diuersitate realem, non tantum motuum, sed etiam locorum à quorum vno ad alium res sit mouenda: sed discursus intentionalis non exigit propterea distinctionem realem obiectorum à quorum vno ad aliud intellectus sese moueat intentionaliter, sed sola eorum distinctione rationis est contentus, ut constat in hoc syllogismo: omne rationale est risibile, omnis homo est rationalis, ergo omnis homo est risibilis: quorsum ergo efflagitet diuersitatem, ac pluralitatem realem actuum, siue motuum intentionalium? Aut paulo aliter: non magis vna distinctio, ac pluralitas realis quam alia requiritur ad discursum intentionalem, si analogiam, ac proportionem cum discursu Physico spectes: sed vna non est requisita: ergo nec alia. Quarto ad discursum Physicum, & localem necessaria est successio realis partium, quibus constat, utque vna sit post aliam, & nullæ sint simul: at non est opus successione actuum ad discursum intentionalem: eius siquidem partes nimirum præmissæ, & conclusio possunt esse simul, ac debent aliquando: quāquam ergo distinctio realis motuum, & vbitatum necessaria sit ad discursum Physicum, nihilominus distinctio realis actuum neutiquam erit requisita ad intentionalem. Quinto, & postremo: discursus intentionalis, qualiscunque sit, & etiam si sit formalis, tamen est improprie & metaphoricè discursus, translatione nimirum vocis ab eo qui Physicus est, ac localis: quidni ergo possit in Deo admitti, ac proinde in vno repetiri actu? quemadmodum eadem de causa discursum virtualem & eminentialem, nemo veretur in Deo admittere, nemo consequenter, in vno actu respondere.

CAPVT VII.

Superiorum difficultatum solutio.

66 **Q**uamuis argumenta superiora numero ac difficultate negotiorum facessant; ceterum tanti non sunt, ut ea propter veriorum, & communiorum Scholasticorum sententiam cogat deferere. Primum aduersus priorem eius partem argumentum haud vrgentiam dici ad illud potest, eum actum, de quo est distinctio, esse virtualiter, siue eminenter discursuum, & formaliter non discursuum, ut ex supra dictis constat. Ad secundum, cum haud fore dependentiam, propterea quod requiritur ad dependentiam pluralitas, ac distinctio realis actuum, qua tamen est ille destitutus: quod autem attingat vnum propter aliud, nihil obest ut enim bene obseruant Cateranus, Tellez & alij impresentiarum vocula, *propter*, non semper dependentiam vnus actus ab alio, sed multoties solum significat obiectorum connexionem. Ad tertium dici debet, haud absurdum esse, quod respectu diuersorum vnus actus sit clarus simul, & obscurus, certus, & incertus affirmans, & negans, ut constabit tract. 12. huiusmet libri inter explicandam, ac tuendam possibilitatem actus, qui simul sit scientiæ, & opinionis.

67 Ad quartum dicendum est, eum, quo de loquimur, actum fore omnino supernaturalem: quod autem simulcum obiecto supernaturali aliquid naturale attingat nihil referre, quandoquidem naturalia possunt supernaturaliter attingi, quo pacto plures

veritates ratione naturali demonstrabiles lumine tamen fidei nobis innotescunt. Ratio à priori est, quoniam ut entitas aliqua sit supernaturalis sufficit, ut aliquo ex titulo naturæ vires excedat, nec requiritur ut ex omni: quocirca actus ille, quamuis propter cognoscitius præmissæ obiecti: naturalis non superet naturam, sed solum prout cognoscitius alterius supernaturalis, nihilominus erit absolute supernaturalis ordinis, atque ad hoc perfectionis culmen ascendet. Rursus si tendentia in obiectum naturale eius cognitionis obstat supernaturalitati, sit naturalis quantumvis alteri obiecto supernaturali intenta: siquidem supernaturalia possunt naturaliter aliquando attingi, nisi verò donorum supernaturalium odium, desperationem aut ignorantiam supernaturalis ordinis esse contendas, quo tamen nil dici potest magis impium, nil magis euidenter falsum.

68 Ad quintum respondeo, actum illum, de quo disputamus, vni obiecto probabili, & alteri certo, & supernaturali indiuisibiliter intentum, & ex utroque aliud seipso, & sine alterius adminiculo colligentem haud esse supernaturalem, sed duntaxat naturalem, propter imperfectionem falsitatis, cui est ex natura rei obnoxius, ut docet Ripaldà lib. 3. de ente supernaturali, disp. 58. num. 2. Nec verò dici potest, immerito nos supponere actum in controuersia positum esse omnino naturalem: quod enim aliquid supernaturale attingat, eius naturalitati non obstat, ut ex proximè dictis luculenter constat. Hæc cum ita sint, quanquam concedamus, talem actum posse esse falsum, haud propterea concedendum nobis est, haud ex nostris principiis vllatenus sequitur, actum vllum supernaturalem esse posse falsitatis capacem. Argumentum igitur ordine quintum, in quo huiusmodi capacitas obicitur, nullius prorsus est momenti.

69 Secundò responderi potest, & quidem probabiliter, permittendo, actum, cuius vnum obiectum est incertum, & aliud certum, ac supernaturale, eo ipso esse supernaturalem: tantæ tamen, ac tam ingentis perfectionis merito reiciet quidem falsitatem circa obiectum probabile, & suapte natura incertum, iuxta eundem Ripaldà citato lib. 3. de ente supernaturali, disp. 47. sect. 2. num. 26. prope finem: nihil autem eius obesse supernaturalitati, quod alterum eius obiectum sit naturale, superius est notatum in simili. Tertio alij respondent, vel potius difficultati succumbunt, aientes cum Scoto in 3. dist. 23. q. 1. & maiore in 2. dist. 23. q. 10. actum supernaturalem posse falsificari etiam ex natura rei. Quod tamen non possit est longe verius, & communius: idque præter alios docent Suarez de fide disp. 3. sect. 13. & disp. 6. sect. 5. Torres disp. 3. dub. 3. Conninck disp. 10. dub. 4. B. Thom. 2. 2. q. 1. art. 3. B. Bonau. in 3. dist. 24. q. 1. & communiter reliqui Scholastici. Quin etiam ne diuinitus subesse posse falsum actui vlli supernaturali docet P. Hurtadus de fide disp. 19. sect. 3. ac pro hac sententia refert Caiet. 2. 2. q. 1. art. 1. Durand. in 3. dist. 24. q. 2. Alexand. 3. p. q. 68. Loricam 2. 2. disp. 10. n. 4. Valentiam tom. 3. disp. 1. q. 1. punct. 3. Bannezium, & Aragonium 2. 2. in art. 3. & alios. Sed de toto hoc puncto latius in Theologia.

70 Ad sextum respondeo, eum actum esse vnus duntaxat speciei, & non multiplicis; haud enim est nisi præmissæ, & conclusio virtualis: ad summum autem præmissæ, & conclusio formalis diuersas species constituere possunt: imò iuxta aliquos ne hæc illas constituunt, propterea quod obiectum vtriusque motuum, ac proinde specificatum sit idem: quare

quare secundum eodē vnus est earum habitus & non multiplex. Declaratur solutio: vt obiectum formale tribuit speciem actui, ita materiale indiuiduationem: atqui vno, eodem numero actu, siue, quod perinde est, eodem indiuiduo actu possunt plura obiecta materialia attingi, vt si quis eadem electione propter sanitatem amet formaliter, & intrinsecē plura medicamenta, aut propter amici testimonium credat vno quidem humanæ fidei actu plura ab eo relata, aut ex assensu rationalitatis v.g. inferat, hominem esse simul risibilem, & admiratum, ita vt vtraque passio sit obiectum materiale vnius, eiusdemque conclusionis si quidem igitur vno, eodemque specie actu respici possint plura obiecta formalia intrinseca, cuiusmodi sunt conclusionis, & præmissarum; conclusionis inquam non reflectentis intrinsecē suprà præmissas obiectiuas; hæc enim sola sibi vindicare potest obiectum formale diuersarum ab eo cui præmissæ formales incumbunt: perperam ergo inferitur aduersus nos, eum quem tuemur actum fore non vnius, sed multiplicis speciei.

71 Ad septimum respondeo citato illo cap. 4. huiusmet præsentis tractatus, multis rationibus à me nisi fallor euictū esse posse dari in intellectu nostro, tum supernaturaliter, tum etiam aliquando naturaliter, actum, qui iudicet de obiecto suo sine vlla eius apprehensione præuia. Ibidem etiam ostensum est, argumenta pro diuersa opinione adduci solita quam sint inania, quam difficultatis omnis expertia. Ad octauum respondeo: etiam si intellectus noster eodē indiuisibili actu possit vnum in alio, siue propter aliud cognoscere, atque eatenus similem se gerere Deo & Angelo, tamen aliis nominibus vtrique decedet, atque cognoscendi primas deferet: Deo quidem, quia hic vnum propter aliud, siue in alio cognoscens totum hoc seipso quantus, quantus est, præstat: Angelo verò, quia hic si non seipso, at actu magis claro quam nobis inesse soleat, magisque simplici, & apprehensionis præuiae in egeno vnum in alio conuenit.

72 Ad nonum respondeo, nulla compertum esse experientia, quod non sit vnquam in nobis vnus indiuisibilis habitus, qui simul sit præmissarum, & conclusionis: quod enim experimur est, nos aliquando faciles esse ad præmissas disponendas, & non ad inferendam conclusionem, aut è contrario ad huius illationem, non vero ad illarum dispositionem artificiosam, adeoque inesse nobis diuersos habitus ad vnum, alterumque munus: at cum hac diuersitate habituum quidem cohereat tertius habitus vtrique æquiualens, qui facilitatem conferat ad discursum virtualem, sicut illi, quæis æquiualeat, eam dant ad formalem. Ita, licet diuersi sint in nobis actus præmissarum, nec non conclusionis, vnus tamen eis indiuisibiliter æquipollens in nobis reperitur aliquando, vt superius probatum.

73 At fortasse aliqui nostræ sententiæ assertores iudicabunt, neutiquam in nobis inueniri tertium illum habitum, qui simul sit præmissarum, & conclusionis, non quod experientiæ repugnet, sed alio ex titulo, videlicet quia est superfluum: non enim est necessarius ad eliciendum discursum formalem, & quibus constat, distinctos actus, cum his sufficiant distincti habitus præmissarum, & conclusionis: non etiam ad discursum virtualem, cum hic ab iisdem proficisci possit, qua nimirum tendit in obiectum conclusionis ab huius peculiari habitu, & qua in obiectum præmissarum ab earum habitu etiam proprio. Cæterum nulla eius tertij habitus superfluitas; tum

quia confert maiorem facilitatem, quam si sine illo existerent in intellectu tantum diuersi habitus circa eadem obiecta: tum etiam quia in absentia distinctorum habituum conclusionis, & præmissarum potest ille deferuire ad eliciendos earum actus, nec non etiam ad illum qui sibi est assimilis, & proportionatus. Et quidem vti præmissæ, & conclusio actuales, cum sunt distinctæ, distinctos habitus generant, non est quapropter vnum, eundemque pluribus æquiualem non producant, si quando distinctione omni carent ac sunt vnus realiter actus.

Ad decimum respondeo, admissio in nobis eo intellectu actu, qui indiuisibiliter feratur in plura obiecta formalia diuersarum præmissarum; item habitu indiuisibili ei respondente, ac totidem obiecta formalia respiciente. Quod autem hinc sequatur infinitas aliqua habituum est omnino falsum: quando namque sunt semper finiti, ac fortasse numero pauci, actus illi, quorum quiuis plura obiecta formalia diuersarum præmissarum attingat, necessum etiam est, vt habitus per eos acquisiti sint finiti, vel pauci; quo pacto habitus illi acquisiti, quorum quiuis vni duntaxat obiecto formali incumbit, nec nisi ad vnā præmissam eliciendam est destinatus, non sunt innumerati, sed potius numero finiti, videlicet eadē de causa. Iam quod habitus de quibus est quæstio, nimirum nō singulis obiectis formalibus singuli, sed pluribus intenti, propter id neutiquam sint superuacanei, aut hoc nomine reiiciendi, superius est ostensum in simili. Vide P. Martinez lib. 3. de ent. supernat. disp. 47. s. 2. num. 11. vbi de habitibus virtutum acquisitarum voluntatis eodem modo Philosophatur quo nos in præsentī de habitibus intellectus. Bene tamē ibi censet, quoad virtutes infusas spectat, nullum earum habitum in nobis reperiri, qui plura obiecta formalia indiuisibiliter respiciat: alioqui necessum esset admittere infinitos iuxta innumeras combinationes obiectorum formalium, quas nunc vno simul actu, nunc alio possumus intueri. Quod autem huiusmodi actus sint finiti, non obstat: quandoquidem ab eis habituum supernaturalium infusio minime dependet: satis ergo erit actus hos mixti generis nobis possibiles esse innumeros, vt tales sint habitus infusi ad eos eliciendos destinati, ac præuie necessarij, vbi semel admittantur in nobis aliqui ab vnus generis vnico obiecto formali commensu suapte naturalia distincti.

Ad postremum respondeo suprà, tap. primo, & tertio huiusmet tractatus, necnon in Dial. lib. 3. tract. 2. cap. 4. assertum probatum esse, quod vnus idemque actus noster possit plura vt plura representare: ibidem etiam soluta sunt quedam argumenta Thomistarum in contrarium fieri solita. Quod autem huc reiectum est non est ponderis alicuius: nam ex imperfectione motus Physici, siue corporei, & naturalis oritur quod nisi vnum terminum non habeat pro vnitare corporis quod mouet: proinde motus intentionalis, qui longè perfectioris & altioris est ordinis, multiplicem terminum ad quem, pleraque obiecta vt plura poterit suo sibi iure vindicare. Adiice, ipsum motum localem, vbi sit spiritualis, & non materialis, atque imperfectus posse habere terminum ad quem, non vnum, sed multiplicem, ac diuersum, vt cum Angelus v. g. vno motu plures locos deferat, ac totidem denuo acquirit. B. Thomas, si forte est contrarius, haud est sequendus: sed forte hoc tantum sibi vult, plura vt plura non cognosci sine aliqua eorum vnitare, qua scilicet omnia dicantur vnum quodammodo, vel ab vno actu, vel

ab vno intellectu, vel ab aliquo ipsorum obiecto-
rum mutuo respectu, & connexionem reciproca. Vide
P. Hurtado disputatione 5. de anima, sectione 7. §. 25.
prope finem.

76

Ad primum argumentum contra posteriorem ve-
rioris sententiae partem dici debet, transitum ab vno
obieto ad aliud tunc esse discursum, quando vnum
ex alio cognoscitur, non verò quando vnum in alio, siue
per aliud cognoscitur, vt docet B. Thomas 1. p. q. 58.
artic. 3. ad 1. & quæst. 8. de verit. artic. 15. & cum eo
Capreolus in 2. distinct. 3. quæst. 2. artic. 3. in solu-
tione ad primum Gregorij contra 10. conclusionem.
Quis asserat, visionem externam, & materialem ho-
mini cum bellua communem esse discursum: nihilo-
minus vnum in alio scilicet obiectum directum in
speculo cognoscitur, & intuetur. Quamvis ergo vna
indivisibilis cognitio nostra transeat ab vno obieto
ad aliud vnum in alio cognoscendo haud erit pro-
pterea discursus, videlicet quia vnum ex alio co-
gnoscitur. Vel etiam dici potest, discursum esse tran-
situm ab vno obieto provt tali ad aliud cognoscen-
dum: obiectum autem, provt tale, reduplicat co-
gnitionem, ac proinde discursus erit transitus ab
vna cognitione ad aliam: ex quo fit, si quando co-
gnoscitur aliquid eodem indivisibili actu, hunc non
esse discursum, videlicet quia non transit ab vno
obieto, provt tali, ad aliud, siue quod instar est, ab
vna cognitione ad aliam.

77

Ad secundum dicendum est, rationem bifariam
sumi posse: primò vt cum intellectu recurrit & ea-
dem est: atque in hoc sensu Deus rationalis est,
quin tamen inde possit colligi, eum esse discursum.
Secundò, & strictius, provt incidit in idem cum vi
discutendi: sic autem ratio claudit imperfectionem,
nec in Deo est admittenda: quo etiam modo sumpta
ne in Angelis circa non pauca obiecta locum ha-
beret, eique non tam rationales dicendi sunt quam
intellectuales, vt docet B. Thomas citata 1. parte,
quæst. 58. artic. 3. Molina ibidem, & alij eius inter-
pretes.

78

Ad tertium dici debet, in primis haud omnem
discursum physicum postulare locorum diuersita-
tem, & non duntaxat motuum: nam qui circularis
est, & corpus cœleste in orbem reuoluit, & continuo
gyrat, semper fit in eodem loci spatio, nec post mille
reuolutiones, aut quantasuis alias aliud quam antea
denuo acquirit. Deinde ad discursum physicum haud
opus est diuersis locis realibus & physicis, sed tantum
imaginariis, vt si res moueatur per vacuum, tantum-
que ad illum sunt necessarij diuersi motus physici,
ac reales, & quæ eis diuersæ vbitates respondent: be-
ne ergo est quod ad discursum intentionalem sit ne-
cessaria distinctio realis, ac physica actuum, motuum-
ve intellectus, solaque distinctio rationis, & veluti
imaginaria obiectorum. Denique quamuis discursus
intentionalis dictus sit à physico, haud propterea opus
est, vt alter alterum amuletur quoad omnia, adeoque
potest vnus more alterius distinctos motus physicos
postulantis diuersas similiter cognitiones, ac motus
rationis petere, non tamen, sicut alius diuersa loca
exposcit, diuersa pariter obiecta postulare.

79

Atque hinc constat ad quintum argumentum.
Quod autem ordine postremum est haud magnopere
premit; nam etsi discursus formalis nostri intellectus
sit improprie discursus, tamen secus, ac virtualis, siue
eminentialis: hic siquidem omnem compositionem, &
pluralitatem actuum adeoque imperfectionem exiit, ac
proinde in vno actu potest saluari, atque in Deo repe-
riri: ille vero prior haud est ab omni compositione, &
imperfectione immunis, quantumuis sit improprie,

& translaticius: etenim non omnis translatio, ac meta-
phora quæ sunt imperfectionis abolet, vt videre est in
homine picto, qui rametsi sit metaphoricè homo,
haud tamen de Deo dici potest, quæ est eius imperfe-
ctio: hæc etenim prædicatio est euidenter falsa, *Deus
est homo pictus, siue simulacrum, aut idolum hominis.*

CAPVT VIII.

*Quam dependentiam actuum argumentatio
importet.*

Asserendum est primò, conclusionem haud ita
pendere à præmissis argumentationis, vt hæc
illam proprie efficiant, sed duntaxat ita vt ad eius
effectiorem intellectum excitent, & illuminent, in-
starque solius causæ directiue ad illam concurrant.
Sic Hurtadus disputatione 7. de anima, sect. 8. Arriaga
disp. 15. Logicae sect. 5. §. 58. Aueris quæst. 25. Logicae
sect. 3. §. secundo dubitari potest, & plures alij Neo-
terici. Probatur autem: quia regula ad actum regu-
latum efficienter non concurrir, vt constat, tum ex
physic. cum sermo esset de caus. final. & exemplar.
tum etiam ex Dialect. lib. 2. tract. 3. cap. 7. vbi regu-
las Dialecticas ad actus aliarum scientiarum efficien-
ter non concurrere, sed directiue tantum est multi-
pliciter ostensum: atqui præmissæ conclusionem regu-
lant. Deinde quoniam experientia docet præmis-
sas in genere causæ formalis extrinsecæ, siue mo-
uentis, aut illuminantis ad conclusionem concu-
rere: alterius vero concursus maioris nimirum effi-
cientis nulla potest esse necessitas, vtilitas nulla.

80

Asserendum secundo, assensum conclusionis haud
pendere essentialiter à præmissis, sed sine eis esse pos-
se. Probatur assertio: namque in primis actus, siue
intellectus, siue voluntatis per alium regulatus sine
illo esse potest, hic v.g. *homo est animal rationale*, sine
hoc dictamine Dialectico *definitio constat genere, &
differentia*: haud enim illud, haud aliud vllum est sim-
pliciter necessarium ad actus aliarum facultatum vt
in Dialect. vbi paulò suprà visum: igitur etiam con-
clusio à præmissis quodammodo regulata sine iis esse
potest, ac proinde ab iis essentialiter nõ depèdet. Ru-
fus præmissæ à conclusione à posteriori essentialiter
non pendet, ita vt sine ea esse nequeant, vt iam iam
constabit: igitur è conuerso conclusio à præmissis à
priori essentialiter non pendet, ita vt sine iis esse
non possit: quæ enim est vnus quam alterius de-
pendentiæ essentialis maior necessitas? Postea calor
B, v.g. productus à calore A non dependet ab illo ef-
fentialiter, sed sine eo potest etiam naturaliter esse, &
in eius absentia à solo Deo, vel ab alia causa secunda
conseruari: par ratio est vnus ignis respectu alte-
rius, & ceterorum effectuum comparatione causarum,
à quibus physicè prodeunt: similiter ergo hic assensus
v.g. *omnis homo est risibilis*, illatus ex hoc, *omnis homo
est rationalis*, potest esse, & conseruari sine illo, &
vel immediate ac per se, vel munere alterius princi-
pij existere. Huic assertioni nostræ fauent ex parte
Conimbr. tom. 2. Logicae in c. 1. de præcognitis q. 3.
art. 2. post medium Tellez 1. p. summa disp. 17. sect. 3.
num. 4. & alij qui docent, assensum conclusionis sine
præmissis actu existentibus per solam earum recor-
dationem elici, & contineri posse adstruunt: magis ve-
ro fauent recentiores ij, qui ne recordationem præ-
missarum ad conclusionem, eius spectata substantia,
requiri existimant. Denique fauet expressè Gabriel
q. 8. prol. dub. 2. Illud autem animaduertendum est, si
non sit sermo de assensu conclusionis secundum se, &
specificatiue

81

specificatiue sumpto, vt haecenus, sed de eo re-
plicatiue sumpto, & propterea est conclusio, ita illum
dependere essentialiter à praemissis, eorumve saltem
memoria, aut habitu: id quod omnes sentiunt, &
merito; nam conclusio, propterea talis, illationem à
praemissis, harumque influxum & quandam coexi-
stentiam formalem, aut virtutalem reduplicat.

82

Asserendum est tertio, conclusionem haud ita
pendere à praemissis, vt haec, siue probabiles, siue eui-
dentes sint, ad illam necessitent quoad exercitiū, quin
potius eis suppositis posse nihilominus intellectum
impediti, aut renuente voluntate, aut alio superue-
niente obstaculo ne quidpiam concludat. Ita Beatus
Thom. 1. 2. q. 17. art. 6. Rubius lib. 1. poster. c. 1. q. 8.
Murcia in log. lib. perihem. disp. 3. quaest. ultima
Auerfa. q. 25. log. 1. 3. Omnia in praesenti quaest. vni-
ca art. 2. §. iam dico Tellez in log. disp. 17. f. 5. n. 4.
Probatur assertio: positis praemissis quibuslibet in-
tellectus potest non elicere assensum conclusionis:
ergo praemissae ad assensum conclusionis quoad exer-
citiū non necessitant: antecedens suadet: haud
enim de bonitate consequentiae potest esse dubium:
experientia teste contingere multoties solet, vt in-
tellectus conclusionem non eliciat, nec possit, vel
quia distrahitur per alia obiecta, vel quia sine vlla
distractione obiectum conclusionis non apprehen-
dit, eiusque non recordatur, vel quia in assensu
conclusionis noua aliqua difficultas ei occurrit,
propter quam non tantum conclusionem non elice-
re cogitur, verum etiam praemissas reuocare, ne si
illarum falsam conclusionem inferat, aut certe pe-
riculo falsitatis sese exponat. Secundo intellectus
est finitæ, & limitatæ virtutis: demus ergo illum tot
actus elicuisse, vt positis duabus praemissis non super-
sit ei virtus ad alium actum: sanè in hoc euentu intelle-
ctus positis praemissis conclusionem cohibere pote-
rit, imò, quod plus est, non poterit eam elicere.

83

Respondent quidam aduersarij, praemissas tunc
solum necessitare ad conclusionem quoad exercitiū,
cum intellectus positis praemissis habet omnia re-
quisita ad conclusionem si enim haec adfuerint volun-
tas per nolitionem efficacem cohibere non poterit
assensum conclusionis: at in duplici euentu superius
posito defunt intellectui aliqua ad concludendum
requisita. Contra tamen: quia haec solutio largitur in-
tentum, videlicet praemissas secundum se sumptas
ad conclusionem necessitare non posse, easque ex
defectu alicuius requisiti cum defectu conclusionis
coherere. Deinde falso supponunt hi Auctores, actum
voluntatis, quo intellectum concludere velit, & im-
peret, ad conclusionem non requiri: siquidem intel-
lectus non est magis potentia necessaria quam po-
tentia loco motiua: sed haec actum voluntatis effi-
cacem ad suas functiones postulat, ita vt positis
aliunde ad se localiter mouendam, voluntas tamen
postulat, ita vt positis omnibus requisitis aliunde ad
se localiter mouendam, voluntas tamen possit loca-
lem motionem impedire: similiter ergo intellectus
positis aliunde requisitis omnibus ad aliquem actum
suum interdum tamen à voluntate impediti poterit,
ne eum eliciat: cur ergo positis praemissis hoc usu-
venire credendum non sit? praeterea sicut praemissae
ad conclusionem dirigunt, ita apprehensio ad iudi-
cium; imò apprehensio immediatius, & longè
magis necessario ad iudicium dirigit, quam prae-
missae ad conclusionem, ad quam tantum mediante ap-
prehensione conclusionis obiectiue dirigunt, & quae
sine praemissis saepissime potuit elici, & elicita con-
seruari, sicut nuper visum: at apprehensio iudicium
praecedens ita pendet ab imperio voluntatis, vt posita
apprehensione, & reliquis requisitis ex parte intellectus

adhuc iudicium interdum suspendi possit; ergo, &c.
Cur autem apprehensio sit aliquando independens
ab eo voluntatis imperio, nimirum cum evidens est,
praemissae vero nunquam, statim constabit.

Ipse eandem sententiam suadeo vna, vel altera ra-
tione non exigua, nisi fallor, efficacitatis. Sola pro-
positio evidens obiecti ad eius assensum ita intel-
lectum necessitare potest, vt ab eo suspendi nequeat,
sed praemissae, qualescunque sint, obiectum conclu-
sionis euidenter intellectui non proponunt: ergo, &c.
Maior probatur: tum quia visus solum necessitatur
ad videndum obiectum, ita vt illud non videre, seu
discernere nequeat, quando obiectum euidenter ei
proponitur, secus vero cum ei obscure repraesenta-
tur, vel quia eminus, vel certe quia sub luce maligna
ei apparet: ergo similiter intellectus, &c. Tum etiā,
quia ideo apprehensio obscura obiecti ad eius assen-
sum obscurum, & probabilem intellectum non ne-
cessitat quoad exercitiū, quia ea apprehensio ob-
iectum intellectui non euidenter, sed obscure, & pro-
babiliter proponit. Minor probatur: namque ob-
iectum conclusionis est identitas extremorum imme-
diata inter se: sed praemissae hanc identitatem eui-
denter intellectui non proponunt, nec repraesentant,
cum eam tantum implicite, & virtualiter repraesent-
rent, solamque identitatem mediatam, & in tertio
extremorum explicite, & formaliter repraesentent, vt
certo certius. Atque ex his constat, curnam praece-
dente apprehensione euidenti alicuius obiecti non
possit eius iudicium à voluntate cohiberi, possit au-
tem assensus conclusionis, non obstante quantūvis
evidentia praemissarum: si quidem apprehensio pra-
uiua, & subsequens iudicium sunt circa idem obiectum
explicite, & immediate, quocirca vbi apprehensio sic
evidens sui obiecti talis non esse non poterit circa
obiectum iudicij, sicut ad necessariam huius seque-
lam oportet: Ceterum obiectum praemissarum, pro-
vt tale, distinguitur ab obiecto conclusionis: proinde
earum evidentia non redundat in obiectum conclu-
sionis, nec illud clarescere facit intellectui, sicut ad
eius necessarium assensum opus est.

84

Rursus haec propositiones intellectui possunt à Deo
in fundi, *Quidquid Deus reuelat ita est, sed Deus
reuelat in instanti. A. tres propositiones: in eodem in-
tellectu nequaquam simul existere: sed haec propo-
sitiones ad hunc assensum: ergo tres propositiones in
eodem intellectu in instanti A. nequaquam existunt,*
ad hunc inquam quoad exercitiū non necessitant,
quantūvis eius obiectum virtualiter, & implicite
repraesentent, & intellectui proponant, imò eum ne
diuinitus in instanti A. inferre possunt; alias falsum
subesse posset diuinæ reuelationi, quippe quae asse-
rit, nunquam concurrere simul in eundem intel-
lectum tres propositiones, nunquam in eo ex duabus
sequi tertiam: quantumvis igitur quaecunque aliae
praemissae identitatem extremorum cum tertio re-
praesentent, atque adeo eorum identitatem immedia-
tam inter se intellectui quodammodo offerant, &
implicite, ac virtuali ratione proponant, adhuc ad
assensum conclusionis circa eam identitatem quoad
exercitiū non necessitabunt.

85

Asserendum est quartò, praemissas, siue eui-
dentes, siue probabiles sint, ad conclusionem quoad
speciem interdum non necessitare, interdum vero
necessitare, ac proinde conclusionis dependen-
tiam à praemissis aliquando necessariam non esse
quoad speciem, aliquando vero esse ita necessariam.
Prior assertionis nostrae pars non paucis displici-
tura probatur, hunc in modum: concessis prae-
missis potest & solet intellectus negare conclusionem, ei-
que per actum contrarium dissentiri: praemissae
igitur

86

igitur ad conclusionem quoad speciem non semper necessitant. Antecedens probatur primò experientia ipsa, quæ in scholis est frequentissima. Deinde secundò: quia si qua de causa intellectus cōcessis præmissis conclusionem negare non posset, maximè, quia intellectus duo contradictoria assereret, nimirum aliqua esse idem vni tertio per præmissas, & non esse idem inter se per conclusionem negatam quæ sanè inter se contradicunt: sed hæc ratio, quæ aduersarij præcipuè innituntur, nullius est momenti: ergo, &c. Minor probatur: quia intellectus duo contradictoria, præsertim virtualiter talia, potest confusè, & implicite affirmare, vt in Dial. lib. 10. appositissimis, nisi fallor, ostensum est exemplis cum sermo fuit de insolubilibus: alit qui concessis præmissis conclusionem negat, eique dissentit, interdum confusè tantum, & implicite duo contradictoria affirmat: ergo, &c. Postrema hæc minor suadetur.

87 Tum quia aliud est, actum aliquem, in se euidentem & explicitum esse respectu sui obiecti, aliud explicite, & euidenter contradicere alteri actui circa oppositum versanti: nam hic actus, *Deus est vnus*, in se euidenter est; & tamen huic actui, *Deus non est trinus*, non euidenter, sed obscure contradicit, & illo priori actu concessio hic posterior negari potest, & solet, videlicet quia prior tantum mediatè, ac materialiter, adeoque confusè, & non clarè repræsentat veritatem posterioris falsitati oppositam, videlicet Dei Trinitatem, cumque ea connectitur: quamuis ergo præmissæ aliquæ in se euidentes sint, aut certè explicite comparatione sui obiecti, tamen interdum poterunt non opponi conclusioni negatæ euidenter & explicite, sed tantum confusè & implicite: quapropter cum idem sit, duos actus confusè tantum contradicere, ac duo contradictoria confusè affirmare, sanè iudicium præmissarum, & conclusio negata duo contradictoria confusè tantum, & implicite interdum affirmabunt.

88 Tum etiam quia modi directi primæ figuræ longè euidentius concludunt, quam reliqui modi, siue indirecti, siue aliarum figurarum, vt ex reductione ostensua reliquorum modorum ad illos quatuor, & ex communi Dial. lib. 10. consensu perspicuum est: at non alia ratione, nisi quia concessis præmissis in aliquo ex iis quatuor modis, si quis nihilominus conclusionem negaret, duo contradictoria virtualia, vt talia proposita, & explicite, & clarè cognita, semper affirmaret, cum tamen in aliis modis id sæpè sæpius non vsuueniat: igitur qui concessis præmissis conclusionem in modis indirectis, aut secundæ, vel tertiæ figuræ negat interdum confusè solum, & implicite duo contradictoria affirmat.

89 Posterior assertionis nostræ pars plerisque auctoribus citra dubium placitura, suadetur primò experientia, quæ sæpissimè in scholis cernimus, iis à disputante respondentem syllogismis vrgeri, vt si præmissas concedat eo ipso conclusionem nec ausit, nec possit inficiari. Quis mentis compos concessis his præmissis, *si sol lucet dies est, sed sol lucet*, possit negare hanc conclusionem, *ergo dies est*, siue quod perinde est, asserere diem non esse. Idem est de compluribus aliis præmissis, quæ ex sola apprehensione terminorum à dissensu conclusionis efficacissimè auertunt. Secundò à priori: quia nequit intellectus falso clarè, & euidenter proposito vt tali assensum præstare; saltem ex natura rei, & secluso miraculo: at si quis assereret, duo esse idem vni tertio, & non esse idem inter se, si quis, inquam, hoc explicite, & clarè, ac sub his terminis assereret, falso euidenter cognito vt tali assensum præberet: ergo nequit quis hoc asserere. Quod si con-

cessis his præmissis, quæ sunt eadem vni tertio sunt idem inter se, sed Petrus & animal sunt idem vni tertio, homini, v. g. hanc conclusionem negaret, ergo Petrus, & animal sunt idem inter se, seu ergo Petrus est animal, is sanè duo esse idem vni tertio, & non esse idem inter se clarè, & explicite, ac sub his terminis affirmaret: concessis igitur iis præmissis nequit ea conclusio negari. Minor probatur: quoniam aliqua duo esse idem vni tertio, & non esse idem inter se euidenter falsum est: qui ergo id assereret, falso euidenter tali assensum exhiberet.

CAPVT IX.

Aduersus superiorem doctrinam repelluntur varia aliorum obiectiones.

90 PRæmissas, contra quam docuimus assertionem primam, efficienter, ac non directe tantum concurrere ad conclusionem tueri Ferrariensis 1. contra gent. c. 57. Sorus 1. posterior. q. 1 ad 2. Rubius super caput primum eiusdem lib. q. 5. Tellez citata disp. 17. Logica sect. 3. Collegium Conimbr. lib. 1. posterior. c. 2. q. 2. art. 2. Idem insinuat Serna disp. 4. Log. art. 3. necnon cursus Thomisticus q. 2. 4. de præcognit. art. 2. Arguunt primò auctoritate Aristotelis 1. posterior. c. 1. loquentis ita: *Omnia doctrina & omnis disciplina discursiva ex præexistente fit cognitione, & c. 2. ita: Demonstrationem autem dico rationationem eam, quæ scientiam efficit: vbi verba illa, fit, & efficit, habitudinem causæ non directiue modo, sed effectiue in præmissis ad conclusionem indigitat. Sed quod attinet ad priorem Aristotelis textum, eo duntaxat cōvincitur, cōclusionem fieri, & effici ab intellectu prius illustrato per præmissas: an autem hæc tantum illustrent, ac dirigant intellectum ad eius effectiue, vel potius aliquas in ea efficienda partes sibi vendicent, neutiquam exprimitur, sed in ambiguo remanet: nisi vero non ens entis, lignum ignis, & materia, ac forma hominis causa propriè effectiua dicatur, propterea quod ex non ente ens, ex ligno ignis, & ex materia, & forma homo fiat: particula ergo, ex, non semper propriam effectiue significationem, sed vel habitudinem termini, à quo, vel causæ intrinsecæ, & componentis, vel cuiusvis alterius: nihil igitur nobis obest, assensum conclusionis iuxta Arist. ex præmissis fieri. Quod ad posteriorem textum attinet, eum rectè intelligit Arriaga, & Auerba locis superius citatis de effectiue lata, & impropria, atque à concursu directiue, seu dispositiue minimè diuersa: quare sicut calor tantum disponens ad ignem vulgo tamen dici solet eum efficere, & quemadmodum cognitio dirigens duntaxat ad amorem, nihilominus dicitur facere, vt amemus, ita & non aliter assensus præmissarum ab Aristotele censetur effectiue conclusionis. Cui explanationi fauet B. Thom. 1. contra gent. c. 57. rat. 4. *In omni* (inquens) *scientia discursiva oportet aliquid esse causatum: nam principia sunt quodammodo causa efficiens conclusionis: unde & demonstratio dicitur syllogismus faciens scire.* Vbi particula, *quodammodo*, est diminutiva, & quædam effectiue à propria ad impropriam significationem translatio, quidquid Rubius, & Ferrariensis contradicant.*

91 Rursus arguunt exemplo seminis: virtus enim seminalis ab animante decisa producit efficienter aliud, siue alterius efficiendi ratio est, postquam semel est in matre recepta: assensus autem præmissarum est veluti semen omnium conclusionum: receptus ergo in intellectu simul cum eo cunctas efficit. Verum in primis complures negant semini concursum effectiue in substantiam

substantiam viuentis, eique tantum concedunt concursum dispositiuum, quo videlicet organisationem accidentalem, & membrorum formationem ad substantialem viuentis generationem prius natura requisitam producat. Deinde, vt alij malunt, inest semini ea vis generatiua, ac viuentis effectiua, ideo quidem erit, quia pater eo mediante dicitur prolem efficere, ac generare, etiam si sit absens, aut, quod plus est, non existens: at medijs pramissis in intellectu receptis nihil est, quod conclusionem absens, aut non existens dicatur efficere etenim pramissae sunt virtus solius intellectus & non alterius qua in re maxime dissidet à semine, vt certo certius. Tercio vtuntur aduersarij exemplo speciei impressae: namque species impressa conclusionis obiectiua conclusionem formalem efficienter producit: ergo à fortiori pramissa specie impressa perfectiores conclusionem formalem efficient. Ceterum vt ignis ignem efficit, homo tamen igne perfectior ignem immediate efficere nequit; ita species impressa pramissis imperfectior conclusionem efficere poterit, quam tamen nequeunt pramissae efficere. Quapropter argumenti consequentia nulla est, quidquid sit de veritate antecedentis, quam nunc permitto latius de ea acturus in metaphysica.

92 Assensum conclusionis semel elicitum à pramissis sine eis esse nec posse, nec vnquam potuisse, contra quam statuimus assertionem secunda, tuentur Hurtad. disp. 7. de anim. l. 7. & Aueria q. 25. log. l. 3. ad finem. Primo, quoniam iudicium, cui praeiucet in nobis apprehensio simplex, sine ea nequit esse, aut conseruari. Secundo, quoniam assensus conclusionis, more cuiusvis alterius actus vitalis intellectus, aut voluntatis, includit actionem, sine qua nulla sit vita: omnis autem actio respicit essentialiter suum principium: ergo & conclusio pramissas, ac proinde sine illis non poterit, aut primo esse, aut postea manere. Tercio quia assensus conclusionis terminatur essentialiter ad obiectum materiale: nihil autem esse potest obiectum materiale, nisi merito alicuius obiecti formalis antecedenter cogniti: conclusio igitur postulat essentialiter prauiam, & antecedentem principiorum cognitionem. Sed hac non vrgent: quod enim iudicium intellectus nostri possit esse diuinitus imò etiam aliquando naturaliter sine apprehensione prauia supra cap. 5. à nobis est ostensum. Quod etiam non omnis actus vitalis, siue cognitio, & amor actionem includat ostensum est tract. 3. huius lib. paterque quod esto eam includat haud est propterea censenda quamcunque includere, haud illam qua dirigitur à pramissis, sed duntaxat eam qua efficitur ab intellectu, praesertim cum hae posterior actio nimirum effectiua, sola sit immanens & vitalis, eiusmodi verò non sic illa prior, nempe directiua: assensus ergo conclusionis eo quod sit actio, & vita non pramissas, sed intellectum essentialiter respiciet, eiusque solius egebit. Denique quod obiectum conclusionis sit materiale, haud facit eam non posse esse sine pramissis: tum quia si pro eo ac potest, supra obiectum pramissarum reflectat, vi huius reflectionis obiectum suum seipsa cognoscat propter aliud, adeoque materiale proprio Marte sibi praestituer, nec ad id vilo principiorum indigebit assensu: tum etiam, quia quando non reflectit intrinsece supra pramissas obiectiua obiectum eius intrinsecum haud est materiale nisi per denominationem extrinsecam, & contingentem à pramissis, quae, si adsint, erit materiale, si vero absint, ac nullatenus praeiuceant erit formale, non tantum intrinsece, sed etiam extrinsece, hoc sensu quod aliud formale extrinsecum non supponat: titulo igitur obiecti materialis hoc posteriori

R. P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

modo sumpti non est quod conclusio secundum suam substantiam pramissas essentialiter supponat illiusve absentibus eo ipso debeat aut non elici, aut semel elicta deficere.

Intellectum positus pramissis necessitati quoad exercitium ad assensum conclusionis, nec posse hunc ab eo cohiberi, aduersus quam constituimus assertionem 3. docent Scotus in 1. dist. 1. q. 4. cum suis, Caietanus 1. p. q. 8. art. 2. Ferrarientis. 3. contra gentes c. 62. Socin. & plures alij Thom. praesertim vero curfus Thom. in log. quaest. 24. de praecognitis, art. 3. Item Durand. in 2. d. 25. q. 4. n. 7. Argento. q. 4. 1. ad finem, Henr. quodlibet. 3. Fonseca 6. met. cap. 1. q. 4. l. 4. Collegiū Conimbricense 1. posterior. cap. 1. q. 4. art. 4. conclus. 2. Hurtadus disp. 7. de anima lect. 4. §. 27. & sequentibus, Ariaga disp. 15. log. l. 6. n. 65.

94 Arguunt autem primo: potentia necessaria potius omnibus requisitis ad operandum nequit non operari: sed intellectus est potentia necessaria, & positus pramissis habet omnia requisita ad conclusionem: non poterit igitur eam non inferre. Arguunt secundo, & praecedens argumentum vna confirmant, atque declarant: nequit aliquis apertis oculis, & praesente luce rem sibi obiectam non videre, videlicet quia eius potentia visiva suapte natura est necessaria, ac tunc omnibus instructa requisitis: similiter ergo in praesenti, &c. Arguunt tertio: pramissae repraesentant duo esse idem vni tertio: sed ex hac suppositione est euident, ea esse immediate idem inter se: pramissa igitur hanc identitatem immediatam intellectui euidenter proponunt, ac proinde ad assensum conclusionis citra eam intellectum quoad exercitium necessitabunt.

95 Arguunt quarto: vnus actus voluntatis ad alium quoad exercitium multoties necessitat, imperium efficax v. g. ad actum quem ita imperat: igitur etiam vnus iudicium intellectus poterit ad aliud iudicium quoad exercitium necessitare; si quod autem iudicium ita necessitat, maxime iudicium pramissarum ad assensum conclusionis. Arguunt quinto: quemadmodum se habent fines in moralibus, ita principia in speculabilibus: vt est in communi, atque ab Aristotele recepta parantia: sed efficax intentio finis necessitat quoad exercitium ad electionem medij, nec eam vllatenus patitur omitti: quod si quis finem intendat, & nullum eius consequendi gratia medium eligat, hoc ipso conuincitur, non efficacem, & strenuam, sed inefficacem, ac remissam finis intentione habuisse: similiter ergo assensus efficax, ac determinatum iudicium principiorum necessitabit ad assensum conclusionis. Arguunt sexto: *ratiocinatio iuxta Aristotel. lib. 1. prior. c. 1 est oratio in qua quibusdam posituris aliud quidpiam ab his, quae posita sunt, cum hac ipsa sint, necessario euenit: vbi conclusionem ex pramissis necessario sequi assertum ita ergo sequitur.* Septimo tandem arguunt: pramissae euidentes plus necessitant ad conclusionem, quam pramissae probabiles, maioremque vim intellectui inferunt: probabiles ad conclusionem, quoad exercitium non necessitant: euidentes igitur ad eam quoad exercitium necessitant, alioqui si neutra necessitatem vllam imponunt, par erit euidentiae, ac probabilitatis, ac tantumdem erit in vtraque momenti.

96 Verum his argumentis proprium est respondere. Ad primum: intellectus positus solis pramissis non habet omnia requisita ad inferendam conclusionem: tum quia praeter pramissas ad eius illationem opus est, vt exercitio aliorum actuum non sit exhausta virtus intellectus, & vt hic conclusionis immemor non sit atque vt ei non superueniat noua aliqua difficultas, & ambiguitas circa veritatem conclusionis tum etiam

quia præter præmissas ad inferendam conclusionem requiritur imperium voluntatis efficax circa conclusionem, quod imperium cum voluntas cohibere possit, sanè positis præmissis poterit etiam impedire, ne intellectus quidpiam concludat. Ad secundum: vsque adeò exploratum non est, apertis oculis, ac luce præsentis visionem externam esse necessariam quoad exercitium: etenim fieri potest, ut quis libere distractus per alia objecta ita extra se rapiatur vi contemplationis, aut studiis, ut coram posita non videat, ut iuxta sonantia non audiat, ut percursum legendo paginam non intelligat, sicut optime tenet, & explicat Claudianus Mamercus lib. 1. de statu animæ cap. 23. Quocirca quod capite præc. à nobis est insinuatum, rem oculis clarè, & evidenter propositam non posse noncerni, quantumvis voluntas renhat, id intelligendum est, nisi ipsa prius imperet, aut permittat nimiam aliquam distractionem, ratione cuius faciat, hominem à corporeis sensibus illo-caliter abscedere. Verum enim transeat, apertis oculis, ac luce præsentis exercitium videndi necessarium esse, & voluntatis arbitrio minime subiectum, ac proinde, cum quis valde distractus est, rem clarè propositam non tam ab eo non videri, quam visionem non aduerti, ut posteriora Claudiani verba nuper posita innunt: totum hoc inquam transeat; nihil enim inde colligi potest aduersus assertionem nostram: beneficio namque præmissarum non proponitur intellectui clarè, & explicite, sed duntaxat confusè, & implicite obiectum conclusionis: poterit ergo huius assensum liberum relinquere, & ad eum eliciendum nulla vi intellectum compellere, quantumvis obiectum oculis clarè propositum, ac luce non maligna affulgens ab eis necessario videatur.

Ad tertium: veritas intellectui evidenter proposita ad sui assensum rapit, atque necessitat, saltem quando virtus intellectus non est per accidens exhausta, aut distracta, aut aliter impedita, ut nuper perstrictum à nobis est, & latius probatum in Dial. lib. 4. tract. 1. c. 3. ex Cicer. lib. 1. Academ. q. vbi docet tam necessarium esse animum rebus perspicue & clare sibi propositis cedere, quam lancem in libra ponderibus impositis deprimi: necnon etiam ex aurea illa, & nunquam satis commendata S. P. nostri Ignacij epistola de obedientia, vbi docet, subditū excusari ab obediendo superiori, quando cogit illum enidentia veritatis cognita. Caterum præmissæ nunquam intellectui obiectum conclusionis evidenter proponunt, cum illud tantum virtualiter, & implicite representent, prout sæpe sapius dictum. Quod autem evidēs sit, ex suppositione quod aliqua vni tertio eadem sint ea esse idem inter se, in contrariū non obstat: siquidem non ea veritas conditionalis per præmissas representatur aut intellectui proponitur, sed alia absoluta, nec si proponatur, est obiectum conclusionis.

Ad quartum: sicut vnus actus voluntatis ad alium interdum quoad exercitium necessitat, sic etiam vnus actus intellectus ad alium: caterum eum actum intellectus alterius necessario illatum non esse iudicium præmissarum, respectu conclusionis nostræ, rationes suadent, atque persuadent: quare erit apprehensio evidens obiecti respectu iudicij circa illud, ea, inquam, apprehensio, vel secundum se, vel saltem prout non impedita per accidens vi alicuius nimie distractionis per alia objecta, siue alterius rei similis: aut eiusmodi actus intellectus alteri necessitatem imponens erit in Thomist. sentent. imperium illud intellectus quod his vocibus, *fac hoc*, correspondet, & aliquam cognitionem efficaciter imperat. Ad quintum: non omnis intentio finis necessariam facit ele-

ctionem alicuius medij, sed ea solum, quæ est efficax: cur ergo omnes præmissæ necessitent quoad exercitium ad assensum conclusionis: cur non imitentur aliqua saltem inefficacem intentionem, atque ad eius instar liberum homini non relinquunt, ut concludat, vel à concludendo superledeat? Rursus quoties ad finem adipiscendum plura suppetunt media cuiusvis electio est libera voluntati, supposita etiam efficaci finis intentione: quid est ergo, quapropter conclusio amulati debeat necessitatem electionis vagæ, & confusæ sumptæ, & non potius libertatem eius determinate, & singularitatem acceptæ? Item tertio: ea de causa electio sequitur necessario intentionem efficacem finis, quia non potest voluntas consequi obiectum intentionis, nisi per media: at intellectus non debet consequi præmissarum obiectum secundum eius esse reale, & Physicum, ac tamen esset ita ei consequendum, conclusionis assensus, & obiectum ad hunc finem nihil posset conferre: quod si sermo sit de consecutione ac possessione intentionali, ita quidem intellectus consequi, ac possideri solet, debetque obiectum præmissarum, non tamen ope conclusionis, sed independentem ab illa, & in priori natura, antequam adueniat. Summa est, quod electio necessario sequatur intentionem efficacem, quia consecutio finis dependet à mediis: intellectus autem, ut consequatur obiectum præmissarum, seu Physicè seu, quod magis ad rem est, intentionaliter, non eget eo ad quod fertur assensus conclusionis.

Ad sextum, Locus Aristotelis nobis obiectus ad summū probat, conclusionem esse necessariam quoad speciem suppositis præmissis, non vero necessitatem ullam quoad exercitium. Deinde ne hanc probat: sensus enim Aristotelis eo loci est, non quod conclusio ex parte modi, siue actus, necessario, & inuitabiliter, sequatur ex præmissis, sed quod eiusmodi consecutio necessaria, & impediri nescia connexio sit ex parte obiecti, quia scilicet repugnat, obiectum præmissarum ita esse, quin obiectum etiam conclusionis ita sit, sicut per eam enunciatur. Ad septimum, ac postremum: præmissæ evidentes, quatenus tales, non magis necessitant ad exercitium conclusionis, quam probabiles, sed ad eam magis inclinant: sicut habitus intensus, absque eo quod vllā necessitatem inferat, ad actum, magis quam remissus, inclinat, atque faciliat.

Aduersus priorem quartæ assertionis nostræ partem obijci ab Hurrado, vbi supra, & aliis aduersariis, consuevit, fieri non posse ut intellectus eadem rei simul assentiat, & dissentiat, duonē contradictoria affirmet: atqui sequeretur hoc, si quando negaret aliquis conclusionem concessis præmissis: facta igitur hac suppositione nequit conclusio negari: ac proinde nulla manet libertas quoad speciem. Caterum huic argumento factum est satis inter nostram sententiam probandam.

Aduersus posteriorem eiusdem assertionis quartæ partem obijci potest, ac difficulter quidem, iuxta nostra principia. Idcirco non necessitatur vnquā intellectus quoad exercitium ad conclusionem concessis præmissis, quoniam hæc non representant explicite, & immediate, ac proinde nec evidenter, & clare obiectum conclusionis: sed assensus præmissarum non affirmat explicite, & immediata ratione, adeoque nec cum evidentia, aut claritate aliqua obiectum quod dissensus conclusionis negat: hic enim negat obiectum solius conclusionis, quod est formaliter diuersum ab obiecto præmissarum: nunquam ergo hæc poterunt dissensus conclusionis tollere, aut ad eius assensionem specie tenus necessitare. Secundo, & paulo

paulo aliter: assensus præmissarum, quia est obscura tantum, & implicita propositio obiectivæ conclusionis, idcirco nunquam necessitat ad formalem: similiter ergo quia est obscura tantum affirmatio conclusionis obiectivæ, eius formalem negationem, siue dissensum nunquam amovebit. Tertio, nequaquam est inconueniens, ut intellectus noster duo contradictoria, confuse, ac virtualiter talia simul affirmet: ergo neque ut concessis quibusvis præmissis conclusionem neget: quoties enim cunque id facit, tantum adstruit duo contradictoria, confuse, & virtualiter eiusmodi: siquidem oppositum conclusionis solius huius obiecto formaliter & clare contradicit, adeoque non obiecto præmissarum. Quarto denique: connexio, quæ est inter obiectum præmissarum, & obiectum conclusionis, non facit unquam hanc sequi inenitabiliter ex illis, videlicet quia est sola connexio, & non identitas formalis: oppositio igitur, quæ est inter obiectum præmissarum, & obiectum conclusionis negatæ, siue dissensus, nunquam facit, hunc tolli ab illarum assensu, videlicet quia non facit utroque actu idem formaliter affirmari, & negari, sed aliud, & aliud. Atque his argumentis aduersus tertiam assertionem nostram uti quis potest talem in modum: præmissæ, si non necessitant ad conclusionem quoad exercitium, nec ad eam necessitabunt quoad speciem, aut, quod instar est, ad eius assensum si non cogunt intellectum, ab eius illum dissensu minime auertere, ut quatuor rationes adductæ videntur persuadere: sed præmissæ necessitant aliquando ad conclusionem quoad speciem: ergo & quoad exercitium: siquidem ex opposito consequentis sequitur oppositum antecedentis.

102 Ad primum, & secundum horum respondeo: difficius longe est, rem produci quam tolli, ac plura ad illud priusquam ad hoc posterius sunt requisita. Vt, g. producat calor, opus est igne, aliave simili causa efficienti; item ligno vel alio passo eius susceptivo; nec non approximatione agentis, & passi, insuper etiam diuino concursu: ut autem calor tollatur de medio, cuiusvis horum defectus sufficit, neque requiritur, ut omnia simul deficiant. Nil mirum ergo, si ad ponendam conclusionem, eamque necessario exercendam vi præmissarum, opus sit eius obiectum per has clare proponi, ac representari, huiusque representationis, ac propositionis defectu præmissæ illam ea necessitate, & inenitabilitate non ponant, nec deducant. Contra vero ad tollendum dissensum conclusionis, eiusve assensui necessitatem quoad speciem imponendam haud sit requisitum, ut præmissæ clare, & explicitè affirmant quod negat eiusmodi dissensus, satisque sit ut implicite, & confuse id affirmant.

103 Ad tertium respondeo, haud esse absurdum, aut insolitum, ut intellectus affirmet duo contradictoria virtualiter, & confuse talia, quoties ei non subiacet eiusmodi contradictio: quo pacto contingit, aliquem arbitrari se peccare, si audiat missam, quia est excommunicatus, & peccare, si eam non audiat, quia est dies festus, videlicet quia neitquam assensum, hæc duo esse inuicem contradictoria virtualiter, & implicite. Caterum, tamen contradictio duorum non sit formalis & explicita, sed virtualis & implicita, nequibit intellectus ei assentiri, si semel eam subodoretur, multoque minus id poterit, illam si clare perspicat: quo pacto nemo vel medio-criter Philosophus affirmet, hominem simul esse rationalem, & non esse risibilem, quia scilicet eum non præterit, duo hæc, quamuis formaliter non contradicant, at virtute contradicere, & formalem

R. P. Richardi Lincei, Philosoph. Tom. III.

contradictionem rationalitatis, ac non rationalitatis latenter continere. Ea autem arte disponi solent præmissæ in quatuor modis directis primæ figuræ, ut intelligenti terminos statim clare appareat contradictio virtualis inter earum obiectum, & id in quod super natura fertur dissensus conclusionis: fieri ergo non poterit, ut eis concessis intellectus dissentiat conclusioni, aut huius vlla sit libertas quoad speciem.

104 Ad quartum respondeo sicut ad primum & secundum plus nimirum requiri ad ponendum aliquid quam ad tollendum, ac longe operosiorum esse actionem quam destructionem: quare, tamen connexion duorum, eorumque identitas, non formalis sed virtualis, neitquam cogat assensum vnus inferre, ac ponere assensum alterius, nihilominus oppositio duorum, virtualis solum, ac nequaquam formalis, potest esse in causa, ut affirmatio vnus alterius negationem tollat, & impediat: cuius rei experientia ipsa locuples testis est, ut superius monitum. Atque ex his claret, quatuor rationibus hactenus positis, & expositis nullum tertiam assertioni nostræ præiudicium creati.

C A P V T X.

Quenam successio actuum ad argumentationem sit requisita.

105 IN ea sententia sum, ut existinem non omnem discursum intentionalem postulare temporis moram, aut successionem vllam realem actuum intellectus, eam tamen exposcere aliquem, ac solius naturæ successionem, prioris instar, haud esse contentum. Prima pars assertionis nostræ est extra scholam Thomisticam cæterorum omnium Scholasticorum, ac facile suaderi potest: quoniam hoc ipso quod vna cognitio aliam inferat, & causet vi connexionis repectæ inter vtriusque obiectum censetur intellectus discurrere ab vno obiecto ad aliud, vnoque actu ad alium, modumque cognoscendi hominis proprium, ac belluis irrationalibus non communem sibi vindicare: at hoc totum contingere potest in vno instanti, & sine vlla vicissitudine, aut successionem reali eorum actuum, quorum vnus infert, & alius infertur, ut cernere est in sole, & luce, igne, & calore, aliisque innumeris causis, & effectis sibi coexistentibus mutuo, nec patientibus vllam inuicem successionem, aut intervalum temporis.

106 Secunda assertionis nostræ pars, Thomistis etiam placitura, non minus est probatu facilis. Si quidem fieri potest, ut quis sine notitia actuali conclusionis præmissas prius habeat, postea vero earum vi conclusionem eliceat, hæc autem elicitæ a præmissarum assensu supersedeat, eius videlicet sine adepto: huiusmodi autem processus vicissitudinem importat, ac successionem realem: est autem discursus intentionalis in suo genere proprius ac sanctus, ut qui maxime, siquidem causalitatem actuum connexioni obiectorum innixam concernit, quæ causa sola ad rationem proprii discursus intentionalis sufficit: præterea vero merito supradictæ successionis realis eum discursu Phisio, & locali non parum conuenit.

107 Aduersus secundam assertionem nostræ partem Auctoritas nulla, nulla ratio obiici potest, quæ sit ponderis alicuius: ei vero quoad primam partem refragantur non pauci Thomistæ cum Capreolo in 2. dist. 3. q. secunda ad 1. contra. 6. conclus. quorum prima

prima ratio est huiusmodi: discursus noster esse debet à notis ad ignota; est enim modus sciendi, ac proinde oratio ignoti manifestativa: quod si quis simul cum præmissis notit conclusionem, haud procedet à notis ad ignota, sed à notis ad æque nota: opus igitur est ad talem processum, qualem exigit argumentatio nostra, ut quo tempore quis habet præmissas, careat notitia conclusionis, siue quod perinde est, ut hæc ei sit ignota: requiritur ergo ad argumentationem nostram successio, ac mora temporis inter eius partes. Nec vero ut intellectus dicatur à notis ad ignota progredi, satis est eum carere notitia conclusionis in articulo temporis antecedenti: nam etiam caret tunc notitia præmissarum haud raro: quare si eiusmodi carentia sufficit ut obiectum dicatur ignotum, eo modo quæ vocabulum hoc usurpatur in præsentī, intellectus non à notis ad ignota, sed ab ignotis ad ignota procedet per discursum.

108

Respondeo, argumentationem nostram, discursumve esse processum à notis ad ignota, non negatiue, ut probat argumentum sed ignota præcisiue, id est non cognita pro eo priori natura quo intellectus habet præmissas, ut recte monet Auerſa supra q. 25. f. 1. §. *propter hoc aliquis* ad eius finem: ad hoc autem non est opus successione temporis. Confirmatur, & declaratur: quemadmodum intellectus noster per discursum procedit à notis ad antea ignota, ita etiam munere creationis res transit à nō esse ad esse: est enim creatio productio rei ex nihilo: nihilominus ad creationem omnem, seu productionem rei haud est opus, ut res prius tempore non existat quam producat, sed prius natura, cum Deus possit creaturam producere ab æterno, sicut produxit verbum increatum: similiter ergo non est necesse, ut ignotum vi discursus postea cognoscendum eo ipso sit prius tempore incognitum, sed satis est, ut prius natura. Secunda eiusdem instituti confirmatio, & declaratio sit talis: quemadmodum argumentatio est modus sciendi, & oratio ignoti manifestativa, ita etiam definitio, & diuisio: quamobrem hæc quoque à notis ad ignota procedent quodammodo: v.g. Definitio hominis ad cognoscendum, eum esse animal rationale, quod ante latebat, & diuisio animalis ad cognoscendum, illud esse rationale, vel irrationale, quod erat antea incognitum: nihilominus nulla successio realis simultati reali opposita requiritur inter partes definitionis, nullæ etiam inter partes diuisionis quin potius totam propositionem definientem, omnesque, & singulos, quibus constituitur, actus, seu re, seu ratione distinctos simul habet intellectus, simulque cognoscit, hominem, v.g. & animal rationale, & vtriusque identitatem, hunc in modum. homo est animal rationale, ut certo certius: totam item propositionem diuidentem v.g. hanc animal aliud est rationale, aliud irrationale, simul complectimur, ac eius obiecta nullius exceptione facta veluti vno mentis obrutu cognoscimus. Quidni ergo discursus noster sit totus simul, quantumvis sit modus sciendi, & ignota notioribus manifestet.

109

Arguunt secundo aduersarij: intellectus noster non potest habere plures actus circa res diuersas: alias cognosceret plura ut plura, contra quam docuit Aristoteles 2. topicorum cap. 4. *contingit*, inquit, *plura scire, sed non cogitare*: fieri ergo non potest, ut intellectus noster habeat eodem tempore maiorem, minorem, & conclusionem, earumve obiecta diuersa simul cognoscat. Verum quod intellectus noster possit cognoscere plura ut plura diuersis actibus te-

nent Suarez lib. 3. de anima, cap. 7. Molina 1. p. quæst. 58. articulo 2. disput. 1. Valquez 1. part. quæst. 57. disp. 220. cap. 2. Hurtadus disp. 5. de anima f. 7. §. 52. Tellez p. 1. Summa disp. 17. f. 5. Conimbricenses in cap. 1. de præcognitis quæst. 4. art. 1. parum ab initio ubi etiam citant Scotum Gregorium & Marfilium. Item ex ipsis Thomistis, Caietanus 1. p. q. 85. art. 4. ac Sotus 1. posterior quæst. vnica ad quartum principale. Ratio autem huius sententiæ est meo iudicio manifesta: nam intellectus est longe perfectior visu, & quouis alio sensu corporeo: sed albedinem & ingredinem, Petrum, & Paulum, & omnia coram posita simul cernimus per diuersas visiones: quidni ergo cuncta possimus simul intelligere, non minus diuersis actibus, quam ipsa inter se differunt. Rursus plura ut plura possumus operari Physicè per diuersas actiones, neque nos solum, sed elementa nobis imperfectiora, quo pacto ignis, verbi gratia simul lucet, calefacit, excitat, ac sursum irrequieto conatu sese mouet: à fortiori ergo plura poterimus intelligere per diuersas actiones intentionales. Præterea intellectus noster potest vno eodemque actu plura ut plura cognoscere, ut cum Hurtado de mendora demonstratum est à nobis in Dialectica lib. 3. tract. 2. capite 4. tum etiam huius operis libro & tractatu præf. cap. 1. & c. 3. cap. 7. in solut. postremi argumenti aduersus priorem partem sententiæ quæ iniuri reuocatur in examen. Multo igitur potiori iure fieri poterit ut intellectus noster diuersis notitiis plura ut plura cognoscat. Deinde quamuis plerique Thomistarum præsertim vero Capreolus ubi supra Herueus quodlibet 7. quæstio 16. & in 1. distinct. 11. quæst. 2. Ferrariensis 1. contra gentes cap. 55. & Albert. in 1. dist. 1. art. 3. quamuis inquam hi aliter censeant ac plura ut plura diuersis actibus attingi posse reuocant, hanc tamen moderationem communiter adhibent nimirum si vnus actus non sit ratio alterius neque inter vtrumque sit ordo & connexio: en verba Ferrariensis citato illo lib. 1. contra gentes capite 55. §. *considerandum ulterius* quibus Scholæ suæ doctrinam restringit: *possunt ergo plura simul intelligi diuersis intellectibus & diuersis speciebus quando & species & intellectiones ordinem formalem inter se habent ita quod vnum est ratio alterius in intelligendo*. At assensus principiorum est ratio conclusionis, estque vtriusque connexio & naturæ seu causalitatis ordo: quare non est quapropter intellectus noster simul habere non possit eos actus, quantumvis diuersos ac circa diuersa obiecta: tota si quidem hæc diuersitas est cum quadam vnitate & ordine coniuncta. Locus Aristotelis in contrarium obiectus non urget, scire namque in eo refertur ad habitus nostros & cogitare ad actus: eius ergo sensus est multarum rerum habitus n bis inesse quarum tamen actuales notitias simul habere non possumus quæ est imperfectio nostri intellectus ac rerum ipsarum ingens multitudo ac varietas: quo pacto conclusiones omnes Euclidis cum tot sint tamque diuersæ plures Mathematici cognoscunt habitu nemo tamen actu quantumvis in ea facultate excellat. Atque hac ratione Aristotelem explicant Molina & Sotus locis superius relatis & communiter ceteri nostræ opinionis assertores.

Arguunt tertio aduersarij ex Veneto: maior est causa remota ac mediata conclusionis, minor verò proxima & immediata: haud ergo necesse est ut quo tempore infertur conclusio existat maior propositio, sed satis est ut sola minor: qua ratione Pater quando generat

101

generat prolem debet existere, secus vero avus quoniam videlicet hic remore concurret ad generationem ille vero proxime: cum ergo similitudo realis maioris & conclusionis non sit requisita ad discursum poterit sane ad eum requiri realis illarum successio & vicissitudo. Caterum hoc in primis argumento ad summum suadet fieri posse, ut maior precedat tempore conclusionem, non tamen quod debeat ita precedere, aut quod eiusmodi successio sit necessaria ad discursum: avus enim, etsi possit antecedere Patrem, eiusque concursus ad generationem prolis, haud tamen debet, sed potius solet simul existere multoties: nec video quo pacto vel hoc exemplum, vel aliud ullum probare possit ex contingentia successione realis, qua de agimus, eius necessitatem ad discursum. Deinde secundum multo verius est, quod docent Conimbricenses supra in capite 1. de praecog. quaestione quarta, articulo primo, conclusionem prima, non tantum minorem, sed etiam maiorem esse causam proximam conclusionis: siquidem ut eius vi cognoscatur, aliqua extrema esse inter se, ratio, & causa proxima est identitas eorundem vni tertio prius cognita: sed non praecognoscitur identitas extremorum vni tertio per solam minorem sine maiori, sed per utramque simul: utraque ergo est causa proxima conclusionis.

III Arguunt quartò: praemissae sunt dispositiones quaedam intellectus ad assentiendum conclusioni: imitantur ergo quoad successione, & ordinem dispositiones physicas: haec autem quo non existant instanti solum causant; alias in generatione substantiali non daretur resolutio usque ad materiam primam, & potius aliqua accidentia corrupti manerent in genito, contra Aristotelem cap. 1. de ortu & interitu, ubi definit generationem mutationem totius in totum, nullo sensibili manente ut subiecto eodem. Hoc argumentum id habet vitij, quod eo confici possit, cognitionem haud existeret, cum voluntas amat bonum, sed potius debere non natura modo, sed etiam temporis intervallo precedere amorem: est enim dispositio quaedam ad amandum, magisque ad id, aut certe non minus requisita, quam assensus principiorum ad concludendum. Rursus quod dispositiones ad generationem non causent eo quo non existant instanti, aut immediate post suam existentiam quantum opinor est evidens, atque manifestum: qui enim fieri potest, ut largiantur esse quo carent, & cum nihil sint, aliquid tamen actu producant? sed de hoc latius in physica lib. 5. tract. 5. cap. 2. ubi constabit non dari resolutionem usque ad materiam primam quoties aliquid generatur de novo, sed potius aliqua accidentia corrupti permanere in genito, verbi gratia, in homine & cadavere eundem colorem, figuram, staturam, membrorum proportionem, atque symmetriam: cuius rei haud aliud argumentum opus est praeter ipsam experientiam. Locus autem Aristotelis tantum convincit, nullum subiectum sensibile esse idem in genito, & corrupto: quamvis enim utrobique sit eadem materia prima, haec tamen, iuxta eius phrasim, dici non debet subiectum sensibile, propterea quod nulla accidentia sensibus obvia ei praeter aliis destinata debita sint: solum ergo vult philosophus, in generatione substantiali non subsistere accidentibus idem compositum substantiale quod antea, eandemve formam substantialem. Tandem, quidquid sit de dispositionibus physicis quod maior, & minor, non postquam desinunt ambae esse, conclusionem primò causent, sed potius quo primum instanti existunt, est Aristotelis, & communis omnium ferme eius interpretum sententia, ut animadvertunt

Rubius lib. 1. posterior. capite 1. quaest. 7. num. 74. & Bartholomaeus Amicus tom. 1. Logicae p. 2. tract. 26. disp. 3. dubitat. 2. atque hunc in modum potest suaderi: omnis causa naturalis sufficienter applicata, & expedita statim operatur suum effectum, quatione ignis, verbi gratia, subiectum calori obnoxium, atque à se indistans è vestigio calefacit: sed intellectus est causa naturalis, ac necessaria, positisque praemissis, & non rennente voluntate sufficienter applicata, & expedita: eodem igitur instanti conclusionem infert.

Arguunt quintò, & praecedens argumentum 112 confirmant: virtus intellectus nostri est finita valde, ac limitata: nequit ergo, cum elicit maiorem, & minorem, simul assenti conclusioni, sed postea: atque huc facit quod communiter dici solet,

Pluribus intentus minor est ad singula sensus.

Verum quando visus noster simul habet plures visiones adeo diversarum rerum, ut supra demonstratum, non video quorsum censenda sit adeo imperfecta intellectus nostri virtus, ut simul concipere nequeat, maiorem, minorem, & conclusionem? Arguunt sextò: discursus intensionalis ita dictus est à physico, & locali: sed huius partes realem successione, temporisque moram necessario postulant, cum nulla celeritas efficere possit, ut simul aliquis sit in principio, ac fine curriculum: similiter ergo partes discursus intensionalis, argumentationisque nostrae eam non sine successione constituunt, adeoque possunt, ut maior, & minor conclusionem tempore antequant. Sed haec ratio non tantum oppugnat simultatem praemissarum, & conclusionis, sed etiam maioris, & minoris secundum se spectatarum, ut intuitu constabit: at quod saltem maior & minor possint esse simul, est certo certius. Deinde quod propter etymologiam vocis servanda non sit proportio quoad omnia inter discursum physicum, & intentionalem, & paulò superius est à nobis statutum, & liquet exemplo motus intensionalis, qui tamen dicatur, ac derivatur à motu physico, haud propterea tamen est utrinque analogia secundum omnia, cum alter peragi possit, ac soleat in instanti, quoties nimirum inest in nobis alicuius rei instantanea cognitio, alter vero non nisi in temporis spatio.

Arguunt septimò: praemissae possunt causare conclusionem mediis habitibus à se relictis: non est ergo 113 necesse, ut ipsae tum existant: successio ergo, & vicissitudo earum, necnon conclusionis poterit esse necessaria ad discursum. Sed ut ab hac postrema consequentia incipiam, ea est nulla prorsus: siquidem aliud est, successione illam realem dari posse aliquando, aliud esse semper necessariam: quocirca, tamen prius probetur hoc argumento, secus tamen posterius. Deinde, ut optimè disputat Gabriel q. 1. prol. nullus habitus generat nisi actus similes eis, à quibus est genitus, & eiusdem cum illis speciei: ac conclusio est diversae speciei à praemissis, eisque dissimilis: haec siquidem habent veritatem obiectivam, quam repraesentant, pro obiecto formali intrinseco, illa verò, si non reflectat intrinsece supra obiectum praemissarum id tantum formaliter extrinsece respicit, solamque conclusionem obiectivam, seu extremorum identitatem immediatam habet pro obiecto formali intrinseco: haec ergo diversitas obiectorum formalium efficiet, ut actus conclusionis sit diversae speciei à praemissis: atque adeo ut harum habitus non possit illam generare. Quin etiam, tamen conclusio reflectat supra obiectum praemissarum, fieri tamen potest aliquando, ut pra-

Eg 4 ter

ter hoc respiciat instar obiecti formalis inadæquati, partialisque motui aliud distinctum, videlicet quod extrema sint inter se immediatè eadem: hoc autem satis est ad eius à præmissis diuersitatem specificam.

114 Octauo arguunt alij, posse conclusionem inferri ex sola recordatione præmissarum: atque ita censent Conimbricenses in caput illud de præcognitis q. 3. art. 2. ac Tellez citata disp. 17. Logicæ sect. 3. num. 4. Sed in primis hoc nihil aliud quam successionem, ac moram temporis inter præmissas, & conclusionem posse repetiri, non tamen quod sit necessaria, cum tamen de eius necessitate, non possibilitate sit in præsentia quæstio. Præterea qui superius falsus sum ne recordationem præmissarum esse necessariam ad substantiam conclusionis, multo minus nunc inficiari possum, aut debeo, earum existentiam requiri ad talem assensum: hoc tamen inficias eo, esse discursum, vel argumentationem eiusmodi processum: nam tum argumentatur intellectus, quando ex præmissis infert conclusionem, siue quando hæc illam causant: ac præmissæ absentes, & quarum sola manet recordatio, non causant conclusionem: quo enim pacto causare potest quod non existit: tum igitur nullum habet locum discursus, aut argumentatio. Rursus vt propriè eligam haud satis est memoria intentionis præteritæ, si nunc eam non habeo, sed potius contrariam, vt videtur vero verius: haud igitur erit satis meminisse præmissarum, quibus modo destituor, vt propriè concludam, arguamve. Tandem impugnatur tertio ea doctrina: quoniam eius fautores putant, ad assensum conclusionis quoad substantiam illius opus esse concursu præmissarum, vel alterius, quod earum vim habeat: eiusmodi autem aliud censent esse recordationem præmissarum: hoc autem est falsum: tum quia talis recordatio, cum iuxta eos sit simplex quædam, & imperfecta apprehensio præmissarum, quarum alterutra est iudicium, idque perfectum, & immediatum, qui fieri potest, vt earum pondus, & instar habeat: tum etiam, quia hoc ipso quod gratia sit necessaria ad substantiam actus supernaturalis, non sufficit absente gratia sola eius recordatio, vt eliciatur actus supernaturalis: item quia ad visionis substantiam opus est oculis, hoc ipso non satis est ei qui occæcauit, vt nunc videat memoria oculorum quos habuit aliquando: similiter ergo in præsentia, &c.

115 Nonò demum arguunt aduersarij: discursus noster est valde diuersus à modo cognoscendi Angelorum, ac beatorum mentium in patria, viæque suæ termino: sed hæc diuersitas in eo maximè consistit, quod intellectus noster nunquam sine successione reali, ac temporis mora discurrat, cum tamen simul, & absque vlla vicissitudine cognoscant Angeli, & quæ Deo fruuntur animæ, vt docet Augustinus, libro 15. de Trinitate, cap. 16. in hæc verba: *Fortassis etiam volubiles non erunt nostræ cogitationes, ab aliis in alias exites atque redeuntes, sed omnem scientiam nostram vno simul conspectu videbimus.*

116 Respondeo: etiam si intellectus noster absque vlla successione discurrat aliquando, & quamprimum habet præmissas, inferat ex iis conclusionem, atque quoad hoc non differat ab Angelis, & animis beatorum, multum nihilominus intererit inter nostrum, illorumque modum cognoscendi: illi namque intelligunt sine conuersione ad phantasmata, & independentè à sensibus, nos vero prius sentiendo, & non sine præuia phantasmatum, & corporearum imaginum velaminibus: illi item simul intelligunt, atque comprehendunt collectionem quandam ingentem

obiectorum, nos aliquam non tamen tantam, tamve numerosam: rursus illi maiori claritate, ac simplicitate cognoscunt, nos autem propterea quod limus huius corporis ergastulo clausi, ac tenebris, cæca & caligine merfi, haud adeo clarè, adeoè simpliciter, ac sine compositione apprehensionis, & iudicij. Augustinus autem præterquam quod dubitativè loquatur, hoc tantum vult, plurima obiecta, quæ non nisi successivè cognoscere possumus in hos vita ob eorum numerum ac varietatem, in patria à nobis simul cognitum iri: hoc autem non tollit, quominus aliqua etiam in hac vita, quamvis pauciora, simul intueri possimus, adeoque maiorem, minorem, & conclusionem vna quidem, & absque vlla successione complecti.

CAPVT XI.

An cognitio bonitatis illationis ad argumentationem sit requisita?

PATER Suarez disp. 1. metaphys. sect. 4. num. 26. 117
P. Arriaga disp. 15. Logicæ sect. 3. num. 17. iuncta, sectione 4. subsect. 2. & cum iis non pauci recentiores partem affirmantem tuerentur, nimirum vt ex his præmissis, verbi gratia, *omnis homo est animal, Petrus est homo*, inferatur hæc conclusio, *ergo Petrus est animal*, opus esse vt per iudicium, aut certè per apprehensionem cognoscatur, eam conclusionem ex talibus præmissis rectè deduci, aut certè obiectum earum præmissarum necessariò coniunctum esse cum obiecto eius conclusionis, & alterum ex altero probe inferri, hunc in modum: *si omnis homo est animal, & Petrus est homo* necessario sequitur *Petrus est animal*.

Verum cum Hurtado disp. 7. de anima, sect. 5. & 118
Auerfa quæst. 25. Logicæ sect. 1. pars negans mihi magis probatur: Primò, quoniam magis, aut profecto non minus requiritur ad assensum conclusionis duplex iudicium præmissarum, quam ea cognitio reflexa, vt certo certius: ac conclusio ita ex præmissis inferatur, vt sine iis esse possit, cum ab iis essentialiter non dependeat, veluti superius ostensum: igitur à fortiori ita ex cognitione illa reflexa bonitatis illationis inferatur, vt sine ea possit esse, atque ex solis præmissis deduci. Secundò, quia vt cognitio amorem inferat, & intentio electionem, opus non est cognitione reflexa, qua quis cognoscat, ex cognitione obiecti rectè amorem inferri, aut ex intentione finis electionem medijs, vt omnibus est in confesso: cur ergo ad hoc vt præmissæ conclusionem inferant, opus sit, &c. Tertio, quoniam ipsa cognitio bonitatis illationis conclusionem immediatè inferat absque alia cognitione, qua cognoscatur, ex cognitione illa bonitatis illationis rectè conclusionem sequi, aliàs progredieremur in infinitum: similiter ergo ipsæ præmissæ immediatè, & sine adminiculo cuiusvis alterius cognitionis poterant conclusionem inferre. Quarto denique: quoniam vt præmissæ iuuant intellectum ad eliciendam conclusionem, ita species impressæ ad ponendas præmissas: quin etiam multò perfectius iuuatur intellectus ad concludendum à præmissis, quam ad has à speciebus impressis, propterea quod specierum representatio sit virtualis, siue habitualis, contra vero præmissarum actualis, atque formæ: at species impressæ se solis & sine vlla cognitione reflexa sufficiunt intellectui ad assensum præmissarum: ergo & hæc solæ ei satis erunt, ad conclusionis assensum.

Obijciunt

119 Obiiciunt tamen aduersarij Aristotelem libro 1. posterior. cap. 2. *Scire autem unamquamque rem simpliciter, & non ut sophiste per accidens, arbitramur, eam causam ob quam res est illius causam esse, & fieri non posse ut res aliter sese habeat, cognoscere arbitramur*: quo igitur intellectus aliquid concludat, atque cognoscat per causam, necesse est hanc cognosci velut eius causam, & quod ex ea sequatur veritas obiectiua conclusionis: id enim significat ea textus Aristotelici particula, *eum causam, ob quam res est illius causam esse, &c.* Obiiciunt secundo: politis iisdem præmissis vnus conclusionem ex iis deducit, alius verò eam cohibet: at non alia ratione nisi quia vnus & non alius reflexe cognoscit bonitatem illationis: hæc igitur cognitio ad conclusionem inferendam est necessaria; aliàs qua ratione in eius præsentiam, aut absentiam posset conclusionis præsentia, aut absentia reuocari?

120 Obiiciunt tertio: conclusio reflectit necessariò supra obiectum præmissarum, & indicat, Petrum, verbi gratia, esse animal, quia omnis homo est animal, & Petrus est homo: igitur conclusio indicat obiectum suum ita esse, quoniam ita est obiectum præmissarum, siue quod in ista est, obiectum suum rectè inferri, ac sequi ex obiecto præmissarum: sed ad iudicium conclusionis requiritur apprehensio, quæ feratur in eius obiectum, illudque totum prius intellectui proponat: quamobrem, cum iudicium conclusionis feratur in bonitatem illationis obiectiua, sanè apprehensio eiusdem bonitatis erit ad iudicium, siue assensum conclusionis requisita. Obiiciunt quarto: ad inferendam conclusionem ex præmissis necessarium est id quod particula, *ergo*, in mente correspondet, aliàs cur illa particula in omni, & quouis adhibetur syllogismo? at id, quod intus in mente respondet ei particula, nequit aliud esse, quam cognitio bonitatis illationis.

121 Obiiciunt quinto: quod requiritur ad ponendas præmissas, id etiam est requisitum ad inferendam conclusionem ex præmissis, cum non nisi ex iis positis illa possit inferri: cognitio autem bonitatis illationis ad ponendas præmissas est necessariò requisita: præmissæ siquidem sunt medium ad conclusionem, & hæc illarum finis: at ad ponendum medium opus est prius cognosci conducentiam, & utilitatem eius ad finem: oportet igitur ad ponendas præmissas, ut cognoscatur earum conducentia, & utilitas ad conclusionem: quocirca, cum eas conducere, siue viles esse ad conclusionem inferendam perinde sit, atque conclusionem ex iis rectè inferri posse; sanè cognitio huius illationis, & quod bona, ac recta sit, ad ponendas præmissas, ac proinde ad inferendam conclusionem erit apprime necessaria.

122 Obiiciunt sexto: conclusio obiectiua ex se est ignota: nequit igitur intellectus ei assentiri, nisi prius illi proponatur velut annexa veritati præmissarum, siue quod iuxta est, ex eis ritè sequens: conclusa enim hac propositione tam erit ignota sicut antea, adeoque tam non poterit intellectus ei assentiri, quam antea. Obiiciunt septimò: intellectus ne temerè, & irrationabiliter, & absque vlla similitudine, aut specie veri assentiat obscuro consequenti, opus habet luce præmissarum: ergo etiam ne temerarium, & inconsideratum se gerat, aut sine probabilitate, ac verisimilitudine procedat, prius indiget cognoscere, quales sunt præmissæ, ex quibus vult concludere, qualis etiam conclusio quam vult inferre, & quod in illis sit virtus huius deductiua, & in hac ex earum assensu necessaria, ac formalis sequela.

123 Obiiciunt octauò: veritas consequentis pendet ex

connexionem antecedentis cum illo: prius ergo debet hæc cognosci. Aut paulò aliter: conclusio non niti-tur veritati obiectiua præmissarum, nisi prout connexa cum illa: ergo, si cuiusmodi veritas obiectiua cognosci debet ante conclusionem, profecto debet ut connexa cognosci. Nonò tandem obiiciunt: qui probat vnus ex aliis, tenetur probare, posse non tantum veritatem præmissarum, sed etiam earum connexionem cum consequenti: hanc ergo dum non cognoscit, prudenter timere potest de veritate conclusionis, eiusque assensum cohibere, ac proinde nequit ei euidenter, & sine formidine assentiri: saltem ergo ad conclusionem euidentem requiritur cognitio bonitatis illationis, siue connexionis inter antecedens, & consequens.

C A P V T XII.

Diluuntur argumenta aduersus nostram sententiam superius posita.

AD primum eorum respondeo, Aristotelem eo 224
loci tantum definire scientiam perfectam, ac propter quid, deque eius natura statuere esse, ut non rem per effectum, aliudve medium instat scientiæ, quia, cognoscat, sed potius per propriam eius causam: particula autem illa, *causam ob quam res est illius causam esse*, non denotat, cognitionem vllam reflexam, sed, ut explicant nostri Conimbricenses 1. poster. cap. 2. quat. 1. art. 1. §. *sed iam definitionem*, & communiter alij, haud sufficere ad scientiam propter quid effectum cognosci, & etiam causam, ob quam est, sed necesse esse, ut cognoscatur effectus esse propter talem causam, vique huius cognitio illius notitiam inferat. Quapropter, si quis iuxta lunam miraculosè positus eam deficere cerneret, necnon etiam inter eam, & solem interponi tellurem, non haberet scientiam propter quid talis eclipsis, si non concluderet eam ex interiectione telluris inter vtrumque fidus, hunc in modum: interponi tellurem inter solem, & lunam facit hanc deficere: sed tellus interponitur inter solem & lunam: hæc ergo deficit, ac patitur eclipsim. Vbi ergo hic cognitio reflexa bonitatis illationis.

Ad secundum respondeo: quod positis iisdem 125
præmissis vnus conclusionem inferat, eo quod habeat cognitionem bonitatis illationis, alius verò, ob defectum eius cognitionis, conclusionem non inferat, tantum arguit, cognitionem eiusmodi conducere ad inferendam conclusionem, non vero ad eam esse necessariam. Ita cum iisdem aliàs motiuis vnus aliquid operatur, quia ab amico rogatus est, alius vero idem officium prætermittit, quia non est rogatus, non quod amici preces ad operandum necessariæ sint, sed præcisè quod sint viles, multumque sit in eis momenti ad flectendum in vtramque partem. Deinde quod vnus, & non alter ex iisdem præmissis conclusionem efficiat, non semper reuocandum est in cognitionem bonitatis illationis vni, & non alteri inexistentem; sed sæpe sæpius huius discriminis ratio esse solet, quia easdem præmissas vnus clarius penetrat quam alter, aut, si sint ab vtroque penetratæ æquali claritate, & euidentia, quia vnus, & non alter iis ad inferendam conclusionem vti mauult.

Ad tertium respondeo, in primis ad quemcunque 126
assensum conclusionis eius reflexionem supra obiectum præmissarum haud esse necessariam ut cap. seq. clarebit: hoc ergo ex titulo non est quod sit vniuersaliter,

saliter, ut aiunt, & ad omnem conclusionem necessaria cognitio bonitatis illationis. Rursus ne ad assensum conclusionis reflectentem supra præmissas esse necessarium iudicium bonitatis illationis eo probatur argumento, cum tamen de iudicio sit potissime quaestio. Tertio aliquoties intellectus noster iudicat de rebus evidentibus, ac perspicuis sine apprehensione prævia, ut superius ostensum est cap. 4. huiusmet tract. si quando autem id potest contingere, maxime cum superpetit aliquid intellectui vicem gerens apprehensionis: poterit ergo intellectus interdum assentiri obiectivæ conclusioni, sine eius apprehensione prævia, seu directa, seu reflexa, atque ad bonitatem illationis terminata, nimirum dependenter à solis præmissis, quæ vicem omnis apprehensionis gerunt, totumque conclusionis obiectum quodammodo proponunt, ac repræsentant. Præterea lis est, an ad conclusionem, quatenus asserit extrema aliqua esse idem inter se, nec nisi suo incumbit obiecto, sit necessaria cognitio bonitatis illationis, hoc est qua dignoscatur, eam identitatem immediatam recte sequi ex obiecto præmissarum, siue identitate extremorum vni tertio: atqui argumentum præfens ad summum efficit, requiri apprehensionem bonitatis illationis ad conclusionem, non quatenus hæc iudicat, extrema esse idem inter se, suoque tantum inherescit obiecto, sed quatenus indicat ipsam bonitatem illationis, atque ad obiectum præmissarum retro se convertit.

127 Ad quartum respondeo, quod subiicitur voculae ergo ad conclusionem inferendam necessarium esse: cæterum eius particulæ significatum non esse iudicium, aut apprehensionem bonitatis illationis, sed causalitatem directivam, qua assensus conclusionis dependeat à præmissis, & hæc ad illum actu secundo concurrunt. Ad quintum respondeo, in primis eo non probari cognitionem bonitatis illationis immediatè concurrere, & necessariam esse ad conclusionem, quod solum inter auctores controuersi solet, sed tantum mediatè, quod est extra controuersiam nostram. Deinde ne mediatè quidem requiri cognitionem bonitatis illationis ad conclusionem inferendam eo conuincitur argumento: siquidem sapissimè inexistunt intellectui præmissæ, quin adhibeantur velut medium ad conclusionem inferendam: cur ergo tunc earum utilitas, & conducentia ad conclusionem, siue huius recta ex iis inferibilitas cognosci prius debeat? Antecedens est perspicuum: sicut enim sapissimè quis apprehendit obiectum, quin eam apprehensionem eligat tanquam medium ad iudicium, quod eius vi formaturus est postea: & cognoscit bonum, quin eam cognitionem eligat velut medium ad amandum eius beneficio; quod idem cernere est in intentione, & electione, adque imperante, & imperato: ita similiter sapissimè poterit quis præmissas aliquas intellectu concipere, quin eas prius optet velut medium ad inferendam conclusionem idoneum. Fac aliquas à Deo præmissas intellectui infundi: sanè eiusmodi præmissæ dici nequebunt medium ad conclusionem sponte electum: cur nam ergo velut ad eam viles prius cognosci debeant?

128 Ad sextum respondeo: consequens multoties est ex se ignotum, id est non per se notum, sed potius egens luce aliqua prævia, ratione cuius mereatur assensum: cæterum, ut veritas obiectivæ consequentis suapte natura obscura prius innotescat quodammodo, & clarescat intellectui, quam assensum ei præbeat, satis est notitia directa præmissarum, nec est necessaria cognitio vlla reflexa: ratio huius est, quoniam ne illa reflexa cognitio bonitatis illationis, cuius ne-

cessitatem intendunt aduersarij, proponit formaliter, & explicite quod ita sit absolute consequens obiectivum, sed tantum virtualiter, & implicite, quatenus statuit, illud ita esse si sint veræ præmissæ, cum tamen harum veritatem non asserat, sed velut alieni muneris supponat: at etiam præmissæ se solis, & circumscripta quavis alia notitia proponunt intellectui implicite, ac virtuali ratione consequens obiectivum: ad præuiam igitur huius propositionem, ac lucem, eiusque tollendam obscuritatem, abigenda sunt que tenebras erit tam idonea præmissarum directa cognitio, atque reflexa bonitatis illationis.

129 Ad septimum respondeo: quemadmodum voluntas non feratur in bonum aliquod cæco impetu, sed prudenter, atque consulte se gerat, satis est eam prius habere cognitionem illius boni, quod est amatura, nec est opus ut ipsam cognitionem boni reflexè cognoscat, ita similiter ut intellectus omnem temeritatis, & imprudentiæ, aut præcipitis, & inconsideratæ assensionis periculum fugiat, satis superque est, ut habeat præmissas conclusionis suasuæ ne requiritur, ut illas reflexè cognoscat, aut ex eis ritè conclusionem sequi iudicet.

130 Ad octauum respondeo: dependet quidem veritas consequentis ex connexionione antecedentis cum illo: propterea tamen opus non est hanc connexionionem prius cognosci, quam intellectus consequenti cedat, & consentiat, sed sufficit ipsum quod ita connectitur præcognosci: nam etiam executio finis pendet à conducentia, & utilitate mediæ illam: nihilominus haud oportet, antequam finis executioni mandetur, amari utilitatem, aut conducentiam mediæ, hoc, aliove simili actu: volo, ut medium hoc sit vtile, & conducat ad exequendum finem, sed sufficit ita si ametur, & eligatur ipsum id quod est vtile, atque conducit. Rursus, ut aliis exemplis rem declararem, iuxta non paucos etiam aduersarios, Deus connectitur essentialiter cum creaturis possibilibus, ac vi huius connexionis, & dependenter ab illa cognoscuntur à beatis in Deo creaturæ possibiles, cum sit ideo verum, eas videri in Deo, quoniam hic ad illas relationem habet transcendentalem: hoc tamen non obstante neutiquam est necesse, prius debere cognosci connexionem Dei cum creaturis prout talem, quam hæc cognoscantur, & videantur in illo: hoc enim esset, eas prius cognosci quam cognoscantur, quando Dei cum illis connexio prout talis nequeat innotescere sine earum notitia: similiter ergo, tametsi dependeat veritas consequentis ab antecedentis cum illo connexionione, non propterea hæc prout talis cognosci prius debet, quam intellectus veniat in notitiam consequentis.

131 Ulterius ordo obiectorum multoties facit, ut vnus apprehensio excitet memoriam, & apprehensionem alterius, sine eo quod vtrumque conferatur inuicem, aut alterum cognoscatur penes eum ordinem, quem habet ad alterum, verbi gratia, memoria primæ dictionis excitat apprehensionem, & memoriam sequentis; imo totius orationis: quin tamen opus sit meminisse, quod ea dicto sit ordine prima: hæc enim reflexio, tametsi contingat aliquando, non semper est necessaria, ut ipsa testis est experientia: ergo similiter in præfenti, &c. Atque hinc constat ad id quod subiicitur in argumento ad eius lucem, & confirmationem. Paulo aliter etiam responderi potest, connexionem videlicet antecedentis cum consequenti esse relationem quandam identitatis implicitæ, quæ proinde includit vnum, & alterum ritum cæterarum relationum prædicamentaliū, fundamento & termino coalescentium siue reales, ac veræ sint,

sint, siue rationis solius, & per imitationem quandam: dependet ergo veritas consequentis à connexionē antecedentis cum illo, eique innititur, non tamen penes eam adequatē, & se tota sumptam: hoc enim esset eam à seipsa pendere, sed penes eius fundamentum, scilicet antecedens obiectuum: satis ergo est, hoc tantum prius cognosci, quam veritas consequentis in intellectu locum sibi faciat.

132 Ad postremum respondeo: qui probat vnum ex alio teneretur probare non tantum veritatem præmissarum, quibus vritur immediatē, sed etiam alias præmissas remotas in eam probationem assumptas, & rursus has, si negentur, per alias, & sic absque fine: & tamen non oportet ob id omnia principia conclusionis etiam remota ante illam actū cognosci: sunt enim infinita syncategorematicā, ac proinde ea quæ nequeat intellectus noster simul cognoscere: quamquam ergo tentatur, aliquis probare connexionem antecedentis cum consequenti, ac bonitatem illationis, quoties respondens eam negat, non propterea debet illa cognosci ante conclusionem. Quocirca, sicut ad eundem, omnisque forūdinis nescium assensum conclusionis non est opus, ut principia remota præmissarum, quibus earum veritas probari possit, insint intellectui, sed quod nihil ei insit, quod contra veritatem præmissarum faciat, sic non oportet ad assensum conclusionis, ut intellectus cognoscat bonitatem illationis, siue conclusionem bene sequi ex præmissis, sed ut cognoscat illam minimē ita sequi.

CAPVT XIII.

An conclusionis supra obiectum præmissarum reflexio ad argumentationem sit necessaria?

133 Conclusionem saltem extrinsecē & mediis præmissis formalibus à quibus deriuatur ad obiectum præmissarum terminari, velut ad obiectum formale, & morium, omnibus est in explorato. An autem ad illud etiam intrinsecē, & immediatē terminetur, haud est adeo compertum: siquidem Ferrariensis lib. 1. contra gent. cap. 57. Capreolus in primum distinct. 2. quæst. 1. in solut. ad argumenta contra 4. conclus. Soncinas 6. metaph. quæst. 10. Durandus in 2. distinct. 38. quæst. 3. ad 3. Fonseca 6. metaph. cap. 1. quæst. 4. Vallius 1. poster. disp. 1. part. 2. quæst. 5. Rubius 1. poster. cap. 1. quæst. 6. num. 54. & sequentibus Hurtadus disp. 11. Logicæ sect. 9. Arriaga disp. 15. Logicæ sect. 4. subsect. 2. Item Caietanus, Adamus, Aureolus, Medina, & Bartholomæus Amicus tractatu 23. Logicæ quæst. 5. art. 3. ac Marius disp. 17. de fide sect. 2. conclus. 3. ac B. Thomas 1. 2. quæst. 8. art. 3. & quæst. 12. art. 4. & communiter alij tenent partem affirmatiuam: nimirum positis his præmissis, omnis homo est animal, Petrus est homo, conclusionem ex iis deductam necessario asserere, Petrum esse animal, quia omnis homo est animal, & Petrus est homo: quamquam non desint qui hanc reflexionem conclusionis aliter explicant. Cæterum Ochamus, Gabriel & Gregorius quæst. 3. prol. art. 1. conclus. 2. Molina & Aueria quæst. 16. Logicæ sect. 2. conclus. 2. & alij non pauci tuerentur partem negantem, videlicet positris superioribus præmissis, conclusionem ex iis illatam nihil aliud inferre, aut posse, quam Petrum esse animal.

134 Inter has sententias media quædam mihi placet, nimirum conclusionem interdum intrinsecē, & im-

mediatē suprà obiectum præmissarum reflectere, interdum verò ita non reflectere, & vtrumque accidere posse & solere. Primò, quia in eo quod conclusio vtroque modo tendat, nulla repugnantia apparet, cedo enim qualis ea sit. Secundò, quoniam intentio modò mouet ad electionem merè materiale, quæ videlicet in solum medium intrinsecē, & immediatē feratur, modò in electionem formalem, quæ quidem in medium, & finem etiam pergat intrinsecē, & immediatē, ut est experientia testatissimum: ecquis enim non videat, intenta efficaciter salute interdum effusionem sanguinis præcisè sumptam, interdum eam propter salutem vi prioris intentionis eligi solere. Et quidem si intentio salutis medio aliquo imperio efficaci à se deriuato electionem inferat medij necessarii, quemadmodum inferre consuevit, non cetum cur modo vnam, modò aliam electionem inferre nequeat: siquidem vtrique possibilis est, ut manifestum: poterit ergo voluntas, quam malit, imperare.

135 Tertiò argumentor: præmissa supraposita modò hunc actum *Petrus est animal*, modò hunc, *Petrus est animal, quia omnis homo est animal, & Petrus est homo*, inferre, atque deducere possunt, sed actus ex præmissis legitime deductus conclusio est: duplex igitur conclusio ex iis præmissis formalibus possibilis est, quarum vna, & non alia suprà obiectiuas intrinsecē, & immediatē reflectat: maior probatur: eatenus præmissa ad assensum conclusionis intellectum mouent, eumque inferre possunt, quatenus obiectum conclusionis implicite repræsentant, illudque intellectui quodammodo proponunt, uti suprà edocui- mus: at ea præmissa, *omnis homo est animal, Petrus est homo*, obiectum vtrumque illius actus implicite repræsentant, & intellectui proponunt: prioris quidem, ac minimē reflectentis, ut apud omnes est indubitatum: posterioris etiam, ac reflectentis: siquidem idè obiectum prioris actus implicite repræsentant, nimirum *Petrum esse animal*, quia hoc quod est Petrum esse animal necessario connexionum est cum hoc quod est, omnem hominem esse animal, & Petrum esse hominem, quod præmissa explicitè repræsentant: obiectum posterioris actus, nimirum Petrus est animal, quia omnis homo est animal, & Petrus est homo, necessario connexionum est cum hoc quod est hominem omnem esse animal, & Petrum esse hominem, nec alterum verum esse potest, quin alterum etiam cum veritate cohareat.

CAPVT XIV.

Argumenta pro duabus sententiis extremis, media, ac veriori oppositis.

136 Obici solet pro prima sententia & contra secundam nostræ sententiæ partem: obiectum præmissarum est obiectum formale, & specificatiuum conclusionis: at hæc semper attingit intrinsecē, & immediatē suum obiectum formale, & specificatiuum: qui enim fieri potest, ut speciem, ac formam tribuat actui quod ei non obicitur intrinsecā, & immediata ratione? ita ergo semper attingit conclusio præmissarum obiectum. Secundò: ratio formalis aliud attingendi immediatē debet attingi, qua ratione visio coloris perspicit immediatē lucem, quoniam hæc est ratio formalis obiectiuæ videndi coloris, ideoque videtur color, quia est luce affusus: at obiectum præmissarum est ratio formalis assentiendi conclusioni, ideoque intellectus huic assentitur, quoniam illis præbuit assensum: actus igitur conclusionis de-

bet attingere præmissarum obiectum, Tertio: si conclusio non affirmat intrinsecè, & formaliter Petrum, verbi gratia, esse animal, quia omnis homo est animal, & Petrus est homo, affirmabit ergo Petrum esse animal intrinsecè, & formaliter propter se: assensus ergo conclusionis erit intrinsecè, & immediatè assensus principij, siue immediatus: talis autem nunquam esse potest: ergo nec vnquam excludere præmissarum obiectum.

137 Quarto ei particula, *ergo*, aliquid in mente conclusio-
pondet: ac non aliud quam modus tendendi conclusio-
nis, quo intrinsecè, & immediatè suprà obiectum præmissarum reflectit. Quinto, & paulo aliter: quando intellectus affirmat aliquid sub conditione expressa per voculam *si* hunc in modum, verbi gratia, si sol lucet dies est, haud attingit vnquam solum conditionatum sine conditione, sed vno indiuisibili actu, quo fertur in illud, hanc etiam intuetur: quapropter superior propositio hypothetica vtrumque complectens est vna prorsus, vt certo certius: eundem igitur in modum quando intellectus concludit aliquid ex præmissis eo processu, qui per voculam, *ergo*, solet exprimi, nequaquam vno fieri poterit actu in solum quod colligit, nulla, eius, quod præmittitur ad colligendum, ratione habita, sed potius vtrumque indiuisibiliter per assensum conclusionis attingit.

138 Declaratur & confirmatur: in hoc syllogismo si sol lucet, dies est; sed sol lucet: ergo est, postremus actus non est conditionatus, sed absolutus, vt est vel ipsa luce diurna clarius: & tamen attingit extrinsecè conditionem: quamuis ergo assensus aliquis ex præmissis illatus, earum obiectum extrinsecè attingat non propterea dicendus conclusio, aut cognitio discursiua & mediata, sed potius immediata notitia, & principium quoddam: vt ergo conclusionis rationem habeat opus est reflectere intrinsecè suprà obiectum præmissarum. Antecedens quoad eius vtramque partem est perspicuum, nec minorem habet perspicuitatem secunda consequentia: suadetur autem prima: nam sicut actus conditionatus eiusmodi est per respectum ad conditionem, ita & conclusio per ordinem ad præmissas obiectiuas: has ergo extrinsecè tantum attingi haud magis faciet assensum aliquem esse conclusionem, quam conditio extrinsecè tantum, & mediata representata efficit, vt actus aliquis sit conditionatus, & nequiquam absolutus.

139 Sexto: necessum est, vt actus fidei intrinsecè, & formaliter attingat mysterium reuelatum, & simul diuinam reuelationem, illud nimirum propter hanc. Rursus electio medij semper illud propter finem intrinsecè, & immediatè attingit: ergo similiter in præsentia, &c. Septimo: in hoc syllogismo expositorio, hoc animal est hoc rationale, Petrus est hoc animal, ergo Petrus est hoc rationale, prima propositio est maior, & postrema est conclusio: sed non alia ratione, nisi quia postrema reflectit intrinsecè suprà obiectum aliarum duarum, secus vero prima: aliàs cur è conuerso postrema propositio non sit interius, & in mente maior, & prima conclusio, in hunc modum Petrus est hoc rationale, Petrus est hoc animal, ergo hoc animal est hoc rationale: quod si in hoc syllogismo genere est necessaria conclusio suprà præmissas reflexio non apparet cur in alio quouis non sit eius reflexionis æqua necessitas. Octauo: ex præmissis deduci potest aliquando actus, qui suprà earum obiectum intrinsecè reflectat, vt nos suprà facti sumus: igitur ita semper vsuenerit credendum est: intellectus enim, cum sit potentia necessaria, quod potest facere id semper facit: quandoquidem ergo potest

per conclusionem suprà obiectum præmissarum reflectere, ita semper reflectet.

140 Nonò: esto consequens sit verum, solet consequentia multoties negari, verbi gratia, proposito hoc syllogismo omnis lapis est substantia, Petrus est lapis, ergo Petrus est substantia, aut quouis alio id genus, sanè concessa maiori, & negata minori, negabitur etiam consequentia, iuxta modum respondendi Dialecticæ regulis præscriptum, atque in scholis vsitatum: consequentia ergo præmissis superueniens non indicat præcisè veritatem consequentis, aliàs malè negaretur: iudicat ergo insuper, consequens esse verum propter obiectiuas præmissas, adeoque ad has sese conuertit. Quod si in his syllogismis, vbi supposita consequentis veritate negatur tamen consequentia, assensus conclusionis semper reflectit suprà præmissas, non est quapropter in quibusvis aliis non semper vsuenerit idem, cum, spectatis vtrorumque generibus, omnium eadem sit forma, & artificiosa dispositio.

141 Decimò: iudicium conclusionis id debet intrinsecè attingere, quod apprehensio ad eam necessaria, & præuia proponit: sed hæc apprehendit bonitatem illationis, siue conclusionem esse veram propter præmissas, & ex his legitimè inferri: necessum ergo est, vt conclusio totum hoc representet, adeoque in præmissarum obiectum reflectat. Maior est indubitata: probamenta minoris posita sunt superius capite 11. & 12. nec est quod repetantur in præsentia.

142 Tandem obiectum conclusionis, & obiectum præmissarum minimè distinguuntur, sed potius sunt reuera idem: at conclusio semper attingit intrinsecè & immediatè suum obiectum: eadem ergo ratione intuebitur obiectum præmissarum. Minor, & consequentia sunt in aperto. Probatur maior, in hoc syllogismo, omnis homo est animal, Petrus est homo, ergo Petrus est animal, obiectum præmissarum nil aliud est, quam Petrus, animal, & homo, atque illorum cum hoc identitas per voculam *est* bis prolata expressa; conclusionis vero Petrus, & animal, & vtriusque immediata identitas per voculam *est* semel editam representata: at Petrus non distinguitur à seipso, nec animal à se, nec homo ab vtroque, nec identitas extremorum in tertio cum eorum identitate immediata, nam quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se: nequaquam ergo distinguitur obiectum illarum præmissarum ab obiecto conclusionis: par autem videtur esse ratio quorumvis assensuum quencunque syllogismum constituentium.

143 Atque ex his inferunt quidam aduersariorum cum P. Meratio superius citato, conclusionem omnem necessariò reflectere suprà præmissas etiam formales: quoniam eiusmodi reflexio semper est necessaria suprà præmissas obiectiuas, non qualitercumque sumptas, sed prout sunt ratio assentiendi: at nequiquam sunt ratio assentiendi nisi vt certè quodam, & artificioso modo cognita: ergo prout tales debent vi conclusionis attingi, adeoque simul cum præmissis formalibus. Hinc vltèrius inferunt iidem, præmissas formales concurrere efficienter ad conclusionem: scilicet enim obiectum præsens, & proportionatum seipso, & non per speciem efficit cognitionem suam.

144 Iam pro secunda sententia contra primam nostræ sententiæ parrem solet opponi. Conclusio, si quando terminaretur intrinsecè ad obiectum præmissarum, haberet sibi intrinsecum, & immediatum obiectum formale, & materiale: quare sine præmissis esse possit, haud secus atque hæc propositio causalis, quia sol
lucet

lucet dies est, sine his propositionibus, *Sol lucet, dies est*, aliisve quibusvis esse potest, nimirum quia ea propositio causalis habet suum obiectum formale sibi intrinsecum, & immediatum, & utrumque per seipsum, & non præcise medio alio actu respicit: at nulla conclusio sine præmissis suis esse potest, reflectio igitur illa intrinseca, ex qua contrarium sequitur, nequitiam esse admittenda: minor, quæ sola eget probamento, suadet hunc in modum omnis conclusio pendet essentialiter à præmissis; aliàs non futura conclusio, sed principium: nequit igitur esse sine illis: item si conclusio sine præmissis esse posset, & ab iis sine ulla essentiali connexionem proficisci, non esset quamobrem hæc causalis, quia *sol lucet, dies est*, conclusio non esset intuitu harum propositionum, *sol lucet, dies est* à quibus tanquam præambulis oritur, ita tamen ut sine iis esse, & conservari possit: consequens autem absurdum, & contra omnes.

145 Rursum secundo solet opponi visio nostra materialis, atque corporea est immediata, & nequitiam discursiva: aliqui, cum bellis communis sit imò in illis aliquando perspicacior quam in nobis, eas oportere esse discursivas, ac rationales: at non alia de causa, nisi quia aliunde non emendicat obiectum formale, sed illud suo sibi Marte præstituit, atque albedinem, v. g. quia est color luce illusio perfermetipsum, & non per alium actum attingit: ergo si assensus conclusionis obiectum formale non aliunde emendicatum, sed sibi intrinsecum, & proprium habet, ac Petrum v. g. esse animal quia est homo, & nullus homo non est animal, seipso affirmat, erit non conclusio, aut discursiva cognitio, sed immediata notitia, & principium quoddam. Nec valet, assensum conclusionis causari ab alio quodam anteriori, cum tamen visio aliam sensationem minime præsupponat: non inquam valet: tum propter rationem num. superiori positam, quæ etiam in præsentia locum habet: deinde, quoniam prius video quæ sunt in medio, quam quæ sunt à regione sita: hoc tamen ad discurrendum oculis sufficere, cæcus sit, qui asserat: denique quia ne sensio materialis interna est discursiva, cum tamen præsupponat externam.

146 Præterea tertio: in conclusione non debet repeti medium, & ex falso interdum sequitur necessario verum; ut omnes dialectici tradant: sed neutrum ita se haberet, si conclusio aliqua supra obiectum præmissarum intrinsecè reflecteret: fac enim ex his præmissis, omnis lapis est substantia, Petrus est lapis, hanc infertur conclusionem, ergo Petrus est substantia, quia lapis est substantia, & Petrus est lapis, sanè hoc ipso repetitur in conclusione medium, & rursus ex his præmissis falsis non sequetur necessario verum, sed falsum; ubi autem eiusmodi præmissæ verum concludere nequeant, nullis falsitati obnoxii poterit ea vis concedi.

147 Quartò obiectum præmissarum semper est proprie loquendo obiectum formale conclusionis: tum quia est id propter quod illa suo assentitur obiecto: tum quia quod colligitur ex obiecto præmissarum est obiectum materiale conclusionis, ergo non formale: solum ergo obiectum præmissarum poterit eius esse obiectum formale; haud enim sine aliquo proprie tali esse sustinet: tum denique quia si non respiceret velut obiectum formale verum, ac proprium id ad quod terminantur præmissæ formales, sed omne obiectum formale sibi intrinsecum haberet, esset assensus principij & non conclusionis iuxta dicta paulo superius. Atqui conclusio nequitiam habere posset pro obiecto formali proprie fando præmissas obiectivas, si supra eas non reflecteret in-

R. P. Richardi Lincolniensis, Philosoph. Tom. III.

trinsecè, sed tantum extrinsecè, & mediantibus præmissis formalibus: quemadmodum enim causa remota, & mediata non est proprie causa ut in Physicis ostensum est ex professo, utque non pauci tradunt Auctores, ita obiectum formale mediatum & extrinsecum haud poterit rationem obiecti formalis proprie sortiri. Huic etiam instituto congruunt, quæ disputabuntur infra tract. 10. huiusmet libri cap. 3. & 5.

148 Quintò: post discursum facillime elicimus actum tendentem ad solam conclusionem obiectivam sine præmissis, & harum obliti illius recordamur absque negotio: signum ergo est, conclusionem formalem, unde eiusmodi relinquitur habitus, solam conclusionem obiectivam immediate intuitu, nec unquam reflectere intrinsecè supra obiectum præmissarum. Tandem si conclusio ex his præmissis veris, *omnis homo est animal, Petrus est homo*, deducta, posset esse hæc, *ergo Petrus est animal, quia omnis homo est animal, & Petrus est homo*, profecto deberet esse falsa: nimirum quæ non causam conclusionis obiectivæ pro causa tamen redderet: nam causa formalis, quapropter Petrus est animal, est eius animalitas, non verò quod alij omnes homines naturam animalis participant.

C A P V T XV.

Superiorum argumentorum solutio.

149 AD primum eorum, quæ sunt aduersus priorem nostræ sententiæ partem obiecta, respondeo conclusionem non reflectentem supra præmissas, qualem in præsentia tueor, bifariam debere sumi: primò intrinsecè & quoad suam substantiam; atque ita eius obiectum formale, & specificativum esse solam identitatem immediatam extremorum inter se, siue, quod perinde est, extrema prout eadem immediata inter se, non verò identitatem eorum mediatam sine cum tertio, nil mirum ergo, si ad hanc more præmissarum intrinsecè, & immediate nequitiam terminetur: secundo extrinsecè, & quatenus per dependentiam ab assensu principiorum denominatur conclusio; prout autem huic denominationi subest optime sortiri posset pro obiecto formali, ac specificativo id ad quod terminantur intrinsecè, & immediate præmissæ solæ non verò ipsæ: quod enim extrinsecè & mediate comparatur cum re aliqua ei formam, speciemque extrinsecam, & accidentariam tribuere potest, ac solet non raro: qua ratione actio exterior dicitur extrinsecè mala, aut bona ob finem quem non intrinsecè respicit, sed extrinsecè & mediante interiori voluntatis actu à quo dimanat.

150 Ad secundum respondeo, rationem attingendi aliquando attingi intrinsecè, & immediate, ut constat exemplo illo lucis, & coloris aliquando vero non attingi: nam visibilitas etiam est ratio attingendi colorem; & tamen visus noster colore se pascens, & oblectans nequitiam attingit visibilitatem, cum hæc sit denominatio extrinseca à visione in potentia quam proinde actualis visio nequit attingere: tum quia iuxta plures aduersarios supra se non reflectit: tum etiam quia quod est uniuersale, & in potentia intellectui non sensui presertim extremo obicitur ut plurimum. Quin etiam, licet sermo sit de visibilitate, quatenus est denominatio intrinseca, & essentialis colori, eiusque mera non repugnantia terminanda visionis, haudquaquam attingetur eodem modo

H h

modo quo color, respectu cuius est ratio obiectiva attingendi: nam color explicitè videtur à nobis, visibilitas autem nonnisi implicitè, & confusè, ut optime in simili B. Th. 1. p. q. 16. a. 3. ad 3. Quod ergo obiectum præmissarum sit ratio assentiendi respectu conclusionis, non arguit illud ab hac semper attingi intrinsecè, & immediatè, sed ad summum aliquando.

151 Ad tertium respondeo: ut assensus conclusionis non sit assensus principij, & omnino immediatus, satis est, ut in obiectu suum extrinsecè, & remotè feratur propter aliud, esto in illud intrinsecè, & proxime tendat propter se: atqui in nostra sententia conclusio non reflectens supra præmissas obiectivas nihilominus obiecto suo assentitur extrinsecè, & remotè propter obiectum præmissarum, à quibus derivatur. Ad quartum: ei particula, *ergo*, non correspondet is tendendi modus, eave reflexio, quam intendunt aduersarij, sed actio directiva, qua præmissa ad assensum conclusionis concurrunt.

Ad quintum: actus intellectus conditionatus siue hypotheticus non dicitur talis, propterea quod affirmet, conditionem, aut effectum conditionatū absolute esse, sed quod asserat dependentiam, & sequelā, siue necessariam, siue contingentem huius ab illa: v. g. non dicitur hypothetica propositio illa, *si sol lucet dies est*, quod solem esse, aut diem esse constituat, sed quod statuatur, diem esse, si sit sol, & ad huius lucem illius ortum sequitur: quocirca necesse est, ut actus conditionatus conditionem, & effectum ab eo pendulum attingat intrinsecè, quando relatio illa dependentiæ, & consecutionis nequit sine illis intrinsecè attingi. Ceterum conclusio, siue cognitio discursiva formaliter, ac propriè talis haud est sita præcisè in iudicio connexionis vnus obiecti cum alio, aut in eo quod affirmet, hoc esse quia est illud, alioqui Deus propriè, ac formaliter discurreret, sed in eo quod vnus actus inferatur ex alio vi connexionis inter vtriusque obiectum: si quando ergo derur hæc illatio sine reflexione intrinsecā, & immediata supra obiectum præmissarum, quidni & conclusio, discursusque vtriusque absque intrinsecā possessione conditionis nullus sit actus conditionatus? Atque hinc constat ad confirmationem, & declarationem argumenti.

152 Ad sextum respondeo, exemplum in primis fidei nullam doctrinæ contrariæ fidem conciliare. Præterquam enim quod sint non pauci, quos inter Ripalda in manuscriptis Theologicis, eius sententiæ, ut putent fidem aliquando intrinsecè attingere solum mysterium, prælucentibus duntaxat extrinsecè diuina reuelatione, & auctoritate, aliquando vero has etiam intrinsecè; ob id verius arbitror, quod in presenti docet Arriaga, fidem intrinsecè semper attingere diuinam auctoritatem, & reuelationem, quia si eas tantum extrinsecè, & mediatè, adeoque secundū quid attingeret, certè nonnisi secundum quid esset virtus Theologica. Quæ ratio non procedit in cōclusionē cōparatā ad præmissarū obiectū, ea siquidè haud est actus Theologicus ex genere suo, nec si esset, ut talis esset, quidpiā interesset tendentiā intrinsecā in obiectū præmissarū. Porro electionis exemplū nihil fauet aduersariis, cū electio modò finem modò dūtaxat mediū intrinsecè respiciat.

153 Ad septimum: in eo syllogismo expositorio, posterior propositio, nempe *Petrus est hoc rationale*, potius est conclusio, quam propositio priori loco pronuntiata, ne quod reflectat intrinsecè supra obiectum duarum antecedentium, sed quia voluntas voluit, ut duæ antecessores ad postremam actū secundo concurrerent, cum è conuerso accidere potuerit pro libro, ac nunc voluntatis, ut quæ modo conclusio est cum minore maiorem concluderet eo argumenti genere,

quod circulare vocari consuevit. Ad octauum: intellectus in elicenda cōclusionē subditur imperio voluntatis: quare potest elicere conclusionem ad obiectum præmissarum intrinsecè terminatam, aut conclusionem ita non terminatam, prout maluerit voluntas, cui, ut iam iam perstrictum est, & supra latius ostensum, intellectus, quantumvis sit potentia necessaria, subiicitur in exercitio conclusionis.

Ad nonum respondeo; illud in eo peccare, quod 154 supponat consequentiam esse assensum conclusionis, cum tamen non sit nisi illatio illa, & dependentia conclusionis à præmissis: quocirca non dicitur à Dialecticis vera, aut falsa, sed bona, aut mala: haud ergo iudicat consequentia, cum negatur, supposita veritate consequentis, hoc esse quia est obiectum præmissarum: quod enim iudicij rationem non obtinet, qui iudicare potest? Rursus si, ut docet Iauellus tract. 9. Log. c. 1. §. *quantum ad primum aduerte*, consequentia est argumentatio tota, quatenus præmissas complectitur, rectè poterit negari, & falsa esse consequentia, etiam si sit verum consequens, non quod assensus conclusionis supra falsas præmissas reflectat, sed quod eas includat argumentatio: quocirca perinde est ita consequentiam negari, ac argumentationem haud esse omnino veram, sed quadantenus falsam. Ad decimum respondeo, necessitatem illam apprehensionis præuiæ, qua repræsentetur bonitas illationis, antequam inferatur conclusio, satis esse à nobis supra cap. 11. & 12. reiectam.

Ad postremum respondeo: in primis in syllogismo, quem obiicit, medium præmissarum, videlicet homo, si non re at ratione distinguitur ab extremis conclusionis, Petro scilicet, & animali: item identitas extremorum mediata, & vni tercio per præmissas representata distinguitur etiam ratione saltem ab identitate eorum immediata, quam assensus conclusionis exprimit: hoc autem satis est, ut quodam vero sensu non reflectat intrinsecè & immediatè supra obiectum præmissarum, sed ab eo præscindat, vel ratione ratiocinata, & obiectiva, vel ratione ratiocinante, ac formali. Rursus quid dicent aduersarij ad hunc syllogismum, *si sol est, lux est, sed sol est ergo lux est*, ubi obiectum conclusionis distinguitur realiter ab obiecto præmissarum, tanquam effectus à sua causa.

Atque ex his constat, neutiquam concedendam 156 esse reflexionem conclusionis supra præmissas formales: tum quia innititur reflexioni illius supra obiectivas, quæ hucusque est satis cumulateque reiecta: tum etiam quia licet conclusio reflectat supra præmissas obiectivas, perperam inde arguitur reflexio illius supra formales: duplex enim est ratio assentiendi, alia nimirum obiectiva, & formalis alia: illa quamvis admittatur ultro debere cognosci per actum ab ea pendentem, non tamen hæc: præmissæ autem obiectivæ prout cognita haud sunt ratio assentiendi obiectivæ, sed potius ratio formalis: quam obrem ita sumptæ, ac reduplicatione facta supra cognitionem non debent cognosci per conclusionem, imò nec per vllum intellectus actum. Sic lux prout visa est ratio formalis videndi colorem, eaque non visa nequaquam hic videretur: nihilominus iuxta aliquos non est necesse propterea visionem lucis reflexè videri: & quamvis non desint alij, qui eam tueantur reflexionem non tamen illa de causa, quam in simili obiiciunt nunc aduersarij, sed aliis multò diuersis. Sed de hoc puncto latè inferius tractatu 12. Constat etiam secundò concursum effectuum præmissarum formalium in assensum conclusionis neutiquam admittendum esse:

esse: inquit reflexioni conclusionis supra præmissas formales, quæ tamen quam sit inutilis, ac superuacanea demonstratum est haud ita supra.

157 Progredior iam ad argumenta contra posteriorem nostræ sententiæ partem: atque ad primum illorum respondeo actum conclusionis sine præmissis esse posse. Prima probatio opposita nihil conficit, cum superius ostensum sit, quatenus actus conclusionis à præmissis essentialiter non pendeat, & quatenus ut conclusio, & principium sit, sufficiat quod actu à præmissis pendeat, esto ea dependentia non sit essentialis. Secunda probatio contraria haud est magis memoriosa: siquidem ea propositio causalis, quia sol lucet dies est, non est conclusio respectu harum, sol lucet, dies est, tamen ab iis oritur, eo quod ratione formæ non representent implicite obiectum illius causalis, nec illud intellectui proponant: quocirca ratione formæ eam causalem non inferunt, sicut oporteret, ut cum ea constituerent argumentationem, illamque deducerent velut conclusionem: quod autem ea propositiones ratione formæ obiectum causalis, nimirum diem esse quia sol est, minime representent, facillimo suaderetur negotio: nam hæ propositiones, ignis amburit, aqua humectat, eandem formam, eundemque tendendi modum, atque propositiones illæ præambulæ nobis obiectæ fortuantur: hæ propositiones postremæ non representant simpliciter, aquam humectare quia ignis amburit, nec causalem aliquam virtualiter continent: ergo nec priores.

158 Ad secundum respondeo, visionem nostram cum bellis nobis communem haud esse conclusionem, haud cognitionem discursivam: huius autem ratio non est quod habeat independenter à quouis alio actu obiectum formale sibi intrinsecum, & proprium, ut male supponitur in argumento, sed quod non sit intellectio, cum tamen sola facultas intellectiva possit discurre saltem in hac serie rerum: vel quod non sit iudicium, cum tamen sola cognitio iudicativa possit esse discursiva, & vim conclusionis obtinere: vel quod unum propter aliud prius cognitum beneficio connexionis utrinque repertæ non attingat: huiusmodi autem connexio plerumque in eo sita est, quod unum obiectum sit identitas extremorum inter se, siue hæc, propterea subeunt, aliud vero propter quod cognoscitur, eorum sit identitas mediata, atque in tertio: quamvis autem visio unius obiecti visionem alterius, & sentio interna externam supponat, non tamen propter supradictam connexionem obiectorum, aut innitendo huic principio, quæ sunt eadem uni tertio sunt idem inter se vel id genus alteri. Proinde exempla ad finem argumenti obiecta non vigent: quin potius nobis præbent ansam, retorquendi argumentum in adversarios: haud enim negabunt, vel iure poterunt, simplicem apprehensionem habere obiectum formale sibi intrinsecum: cur ergo non est conclusio, quando nascitur vel ex alia apprehensione, vel ex alio iudicio?

159 Ad tertium respondeo, regulas illas Dialecticas, nimirum in conclusione non debere repeti medium, & ex falso quandoque sequi verum, intelligendas esse de sola conclusione vocali, in qua semper verum habent, & nunquam sunt falsitati obnoxie: aut secundo de conclusione etiam mentali, quæ in obiectum præmissarum intrinsecè non reflectat: aut tertio de omni conclusione, quatenus tamen conclusio præcisè representat, extrema esse eadem inter se.

160 Ad quartum respondeo, in primis eius maiorem esse falsam: quidquid enim sit de aliis syllogismis, ubi obiectum præmissarum haud distinguitur realiter ab obiecto conclusionis, sanè in hoc, si sol est lux est, R. P. Richardi Lincei, Philosoph. Tom. III.

sed sol est, ergo lux est, aliove simili, verius est conclusionem, ut non attingit immediatè, & proximè obiectum præmissarum, sed aliud realiter distinctum, & non conditionem, causamve, sed effectum, ita haudquaquam habere propriè loquendo velut obiectum formale id ad quod respiciunt præmissæ. Prima autem ratio contraria non obest: nam obiectum præmissarum est id, propter quod conclusio suo assentitur obiecto, propter quod, inquam, siue intrinsecè, & immediatè, siue extrinsecè, & mediatè. Non etiam secunda: præterquam enim quod non desint quidam arbitantes, haud absurdum esse actum aliquem intellectus nostri omni obiecto formali propriè tali destinatum, satisque aliquibus esse illud impropriè sumptum intueri, quo pacto Deus seipsum cognoscens aut amans nullum iuxta nonnullos, obiectum formale strictum, propriumve cognitioni, aut amoris suo præstituit, ob horum actuum ab eo in quod feruntur realem indistinctionem præterquam, inquam, quod hæc ita sint, responderi potest, conclusionem habere posse velut obiectum formale id quod colligit ex præmissis: dicitur autem simul materiale, sed aliter, & aliter: videlicet formale intrinsecum, & materiale extrinsecum. Non denique tertia: quoniam ea nititur fundamentis, quæ iam supra sum demolitus.

161 Respondeo secundo, minorem eius argumenti haud esse veram univèrsim: nam in hoc syllogismo, omnis homo est animal, Petrus est homo, ergo Petrus est animal, & in quocunque alio idem realiter obiectum vi præmissarum, & conclusionis attingente, hæc, etiam si intrinsecè non reflectat supra præmissas obiectivas, propterea tales, ac eas absolute sumptas verè, ac propriè cognoscit, ut constat ex dictis supra lib. 2. tr. 4. c. 13, ibi enim ostensum est ex professo, quando intellectus cognito animali, v. g. non cognoscit rationale propterea tale, nihilominus illud cognoscere propriè, & absolute, videlicet quia merito identitatis realis illud cognoscit, propterea est animal: par autem est ratio in præsentia. Respondeo tertio, obiectum præmissarum, quales ea cunque sint, esse obiectum formale conclusionis propriè loquendo, si non sumatur conclusio quoad suam substantiam, propterea fuit de illa sermo in prima responsione argumenti, sed propterea extrinsecè denominatur, & informatur à præmissis formalibus, easque quodammodo includit: ita enim fieri nequit, ut obiectum formale præmissarum non sit eiusmodi respectu conclusionis, quæ penes hanc denominationem illas, ut dictum est, complectitur. Hoc autem pacto non refert, quod assensus conclusionis quoad suam substantiam non reflectat intrinsecè, & immediatè supra obiectum præmissarum: satis enim est, ut quoad denominationem extrinsecam, & accidentariam ab ipsis præmissis supra illud ita reflectat, & ita denominata eiusmodi obiectum formale suo sibi iure vendicat.

162 Ad quintum respondeo: quemadmodum recordamur multoties lucis sine colore, & mysterij revelati sine revelatione: & tamen eodè possumus actu videre lucem, & colorem; eodemque credere mysterium revelatum, & eius revelationem: ita similiter in præsentia, &c. Præterea post discursum sæpe remanet in nobis memoria conclusionis obiectivæ sine præmissis, & sæpe etiã utriusque memoria, ac recordatio: prior ergo si arguit nos concludere non reflectèdo intrinsecè supra obiectum præmissarum, & posterior argumento esse poterit, inesse nobis haud rarò conclusionem, quæ supra præmissas obiectivas immediatè reflectat. Ad postremum respondeo: aliud est, esse causam quoad esse rei: aliud esse causam quoad esse cogniti: quod verò omnis homo sit animal haud est causa reipsa tenus, quapropter Petrus sit animal: quid enim refert, alios homines esse animalia,

animalia, ut Petrus sit eiusmodi? at omnem h. omni- nem esse animal, in cognoscendo potest esse causa; ob quam Petrus sit animal. Sic diuina reuelatio non est causa mysterij, quod reuelat, in esse rei, ut aiunt: est tamen eius causa in esse cogniti. Proinde quando ex his præmissis, omnis homo est animal, Petrus est homo, inferitur, Petrum esse animal; quia est homo, & omnis homo est ani- mal; huiusmodi reflexiua conclusio non est fal- sa, nec affert in causam sui objecti, quod eius causa non est, sed potius quod talis est, si minus reipsa, at cognitione tenuis: hoc autem nisi sufficiat ad abolendam omnem falsitatem; fidei diuinæ suberit proculdubio falsum.

TRACTATUS V.

De aliis speciebus actuum intellectus.

CAPUT I.

Septuplex diuisio actuum intellectus.

I **M**IRUM in artem, scientiam propriè di- ctam, prudentiam, sapientiam, intellectum, suspitionem, atque opinionem. Porro autem ars, ut ab eâ ordiamur, tripliciter sumi consuevit. Primò, pro quavis notitia intellectuâ, seu practica, seu etiam speculatiua: hoc sensu Mathematicas, quamuis aliqui speculationes sint, & scientiæ, artes tamen vo- cant Plato, Aristoteles 1. Rhetoricæ ad Theodectum, & alibi sæpè. Plutarchus lib. de diuinat. apud Stobæum. Eodem sensu Cicero libro 5. defini. dixit: *Omnium artium rectè dici potest, commune esse ut in aliqua scientia versentur: scientiam autem suam cuiusque ar- tis esse.* Eodem etiam sensu dixit Fabius lib. 2. cap. 18. *Cum sint autem artium alie posite in inspectione, id est, cognitione, & estimatione rerum, qualis est Astrologia nullum exigens actum, sed ipso rei, cuius studium ha- bet, intellectu contenta, que theoreticè vocatur: alie in agendo, quarum in hoc finis est, & ipso actu perficitur, &c.* Secundò usurpati solet ars pro omni, & sola noti- tia practica. Ita B. Thom. 1. 2. q. 57. art. 3. ad 3. Arist. 1. ethic. c. 1. quos referunt, & sequuntur Conimbr. q. 1. proœmiali art. 2. Tertiò accipi solet ars pro sola noti- tia practica ad externam materiam transeunte; quo pa- cto loquitur Plato in sophista, & Aristot. dicto lib. 6. ethic. sic inquit: *Et nulla neque ars est, que non cum ratione factiuius habitus est, neque talis, que non ars: idem vique erit & ars, & habitus cum ratione vera factiuius.* At iuxta Arist. 9. met. factio est circa externam materiam, & actio circa internam. Quod etiam sentit B. Thom. lect. 3. nuper citata: *Actio, manens in ipso agente operatio dicitur, ut videre, intelligere, & velle. Sed factio est operatio transiens in exteriorem ma- teriam ad aliquod formandum ex ea, sicut edifica- re, & secare.* Eadem ratione usurpant artem Co- nimbr. vbi suprâ, & Theophilus in prolog. discip. mor. §. 2. num. 20.

2 Post diuisionem artis, reliquum est, ut eam finia- mus. Omnium autem celeberrima eius finitio est hæc: *Ars est collectio multarum de vna re comprehensionum ad finem aliquem vtilem vitæ.* Ita Stoici omnes rectè Cicerone lib. 4. academ. quæst. ita etiam medici cum Galeno c. 5. introd. & q. 1. medicarum finitionum: ita denique omnis Peripateticorum schola. Quanam au-

tem ars ea definitione explicetur, explicatu eget, an nimirum primo modo sumpta, vel potius secundo, aut tertio modo usurpata? Quod eius definitionis materia non sit ars postrema ratione accepta, certo certius: alioqui sicut hæc excludit practicas scientias ad externum opus non prodeuntes, ita etiam huius- modi facultates sub eam definitionem non caderent: atqui nulla eius particula est, quæ eas reiciat. Quod ars secundo modo tradita eius definitionis subie- ctum sit, opinio est Galeni & Theophili locis nuper citatis, & aliorum plurimum, eaque, quantum arbitror, verior, ac probabilior est: omnes enim, & qualescun- que scientiæ practicæ, necnon solæ illæ sunt collectio multarum de vna re comprehensionum ad finem ali- quem vtilem vitæ: omnes quidem ut sponte sua pa- teret: solæ etiam, quia facultates non practicæ, sed tan- tum speculatiuæ haud inuenta sunt ad vsum aliquem vitæ, sed propter solam veritatis contemplationem, ut luculenter docet Aristoteles 1. 1. metaph. c. 1. *Cum autem plures artes inuenirentur, quarum alie ad res necessarias, alie ad cultum vitæ conferrent, semper tales ceteris sapientiores fuisse putamus, quod eorum scientia non ad vsum referantur.* Quocirca omnibus iam huiusmodi rebus comparatis, ea scientia reper- ta sunt, quæ nec ad voluptatem, nec ad vsum neces- sarios conducunt, ac primum iis in locis, ubi homi- nes in otio vitam agebant. Hinc Mathematica ar- tes in Aegypto primum constituta sunt, quod ibi concessum sit, ut Sacerdotes otio fruantur. Idipsum etiam cum Aristotele sentiunt Fonsæca ibid. littera T. pluresque alij interpretes. Atenim probabilitate non vacat, quod Conimbricenses suprâ quæstione 1. articulo secundo, & communiter alij recentiores vo- lunt, artem etiam primo modo sumptam, & qua- tenus scientias omnes tam practicas, quam spe- culatiuas complectitur, ea definitione exponi: quod ut sustineri queat, postrema definitionis verba ita sunt interpretanda, ut vtilitas, quam respicit ars, non prescè accipiatur, sed omne bonum coërceat: sic autem facultates speculatiuæ ad finem aliquem vti- lem vitæ conducunt, scilicet ad bonum intellectus, & veritatis perfectam possessionem, atque ignorantia, & errorum fugam.

3 Obiicies tamen aduersus prædictam artis defi- nitionem. Deus Optimus Maximus arte præditus est, ut habetur Sapient. capite 7. *Omnium enim artifex docuit me.* Sapientia & capite 8. *Quis horum, quæ sunt, magis quam illa est artifex.* Quæ de sa- pientia increata communiter interpretes intelligunt, & merito quidem: namque nuper citato capite 7. de artifice illa sapientia subditur: *Candor est enim lucis æterna, & speculum sine macula Dei maiestatis & imago bonitatis illius.* Artem etiam in Deo agnos- cit August. lib. 6. de Trinitate cap. 10. *Verbum est ars omnipotentis Dei, plena omnium rationum videntium.* Eam etiam Pater Suarez 1. parte libro 3. de attributis capite 4. numero 7. velut exploratam supponit. Atqui in Deo non est collectio multarum compre- hensionum, &c. sed potius vno simplicissimo mentis suæ intuitu cuncta comprehendit: perpetam ergo ars per multitudinem, & collectionem comprehensionum assumpta Dei simplicitate prorsus alienam definitur.

4 Obiicies secundò: tota Logica, v.g. est vnus sim- plex habitus, ac proinde vna habitualis comprehen- sio: non ergo collectio multarum comprehensionum: & tamen est ars. Argues tertio: Logica si non est simplex habitus, sed multiplex, certè hoc ipso non de vna re, siue objecto formali censetur esse, sed potius de multiplici, vt pote ex quo multiplicitas in habitus Dialecticos redundet: vel hoc ergo nomine ea definitio